DE
PALLADA EPIGRAMMATOGRAPHO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALFREDUS FRANKE
LIPSIENSIS

LIPSIAE
TYPIS HESSEI & BECKERI
MDCCCXCIX.

PARENTUM PIIS MANIBUS

SACRUM

De Pallada epigrammatographo.

Praefatio.

Flumen poeseos epigrammatographicae Graecorum inter Diogeniani Heracleotae anthologium et Agathiae Myrinaei cyclum si non exsiccatum esse, at tamen parcissime manasse fere omnes viri docti, qui de historia epigrammatum Graecorum verba fecerunt, inde ab Jacobsio[1]) usque ad Reitzensteinium[2]) contenderunt. Sed est inter epigrammatistas horum quattuor saeculorum unus — est ei nomen Palladas — qui fertilissimus omnium epigrammatographorum Graecorum nobis nominandus est epigrammatum, non versuum numerum respicientibus.[3]) Quam ob rem non modo, sed etiam ingenio Palladas poeta dignus esse mihi videtur, quem a silentio vindicem, quo ab omnibus historiam epigrammatum Graecorum conscribentibus praetermittebatur.

Cum aliunde de vita scriptisque huius poetae nihil cognoscere possimus, sed epp. soli sint fontes, e quibus nobis hauriendum est, primum nobis perscrutandum est, quae epp. a Pallada scripta sint.

---

1) Anth. Gr. V. proleg.

2) Pauly-Wissowa, s. v. Anthologia.

3) Tribuuntur in Jacobsii editione Palladae epp. 147, Meleagro 129, Lucillio 124, Antipatro Sidonio 111, Simonidi 107, Leonidae Tarentino 100. Reliqui poetae minus centenis epp. scripserunt. In indice poetarum editionis Duebnerianae Palladae 176, Meleagro 142, Lucillio 145 epp. dantur.

Caput primum.

De epigrammatis Palladae tribuendis.

Uno excepto omnia carmina Palladae in anthologia Palatina et in anthologia Maximi Planudis sunt tradita. Quamquam Stadtmueller[1]) certissimis argumentis demonstravit Planudeam ex Constantini Cephalae anthologia manasse, tamen in his collectionibus lemmata auctorum ita inter se dissentiunt, ut utriusque sylloges lectiones nobis respiciendae sint.

Auctorum nomina in libris sex prioribus anthologiae Palatinae quo modo tradita sint, ut intellegamus, certo fundamento nunc nitimur Stadtmuelleri editionis anthologiae Graecae admodum accuratae primo volumine.[2]) Collationes multorum epp. posteriorum librorum idem vir doctus adfert ad tabulas, quas Weisshaeupl composuit.[3]) Eius partis codicis Palatini, quae Lutetiae Parisiorum relicta est, tabulae arte photographica expressae mihi in manibus erant. Reliqua omnia lemmata Palladae epigrammatum Heidelbergae ipse contuli. De nonnullis lemmatis, quae a quibus manibus scripta sint, omnibus per breve tempus codicem inspicientibus difficile est diiudicare, Stadtmueller epistulis me certiorem fecit. Idem vir doctus mihi collationes autographi Planudis praebuit et quo ordine Palladae epp. hoc in codice collocata sint, me docuit. Cui viro doctissimo, quem Rubensohn merito alterum sospitatorem anthologiae Graecae appellat[4]), pro sua erga me comitate et benevolentia gratias hoc quoque loco refero.

Cum sine ulla dubitatione Stadtmuelleri in editione anthologiae Graecae omnibus, quibus de epp. Graecis erit tractandum, nitendum

---

[1]) Anth. Gr. praef. p. XXIII sqq.

[2]) Secundi voluminis prior fasciculus septimum librum anth. Pal. continens publici iuris factus est, postquam hanc dissertationem amplissimo philosophorum ordini Lipsiensi proposui.

[3]) Die Grabgedichte der griech. Anthol. Acta seminar. archaeol. epigr. Vindob. 1889. Cf. et adnotationes p. 107 additas.

[4]) B. ph. W. 1895 p. 929 sqq.

sit, huius editionis siglis et numeris quinti libri ab aliis editionibus diversis uti mihi liceat.[1])

A. Initium faciamus ab eis epigrammatis, quae in utraque sylloga et in P. et in Pl. Palladae tribuuntur.[2]) In appendicc autographi, quae a Stadtmuellero (ed. p. XII) siglis I^b—IV^b significatur, pleraque auctorum lemmata Pl. omittit, in primis lemmata *τοῦ αὐτοῦ*, cum eiusdem poetae epp. sequantur, non quo indicet haec carmina esse *ἄδηλα*, sed ut haec epp. esse eiusdem poetae notet, quamquam interdum etiam epp. unius argumenti et diversorum poetarum sine ullo lemmate conserit. Omnia epp., quae in P. Palladae tributa in appendice Pl. nullo lemmate addito alia Palladae epp. sequuntur, enumero inter ea, quae in utraque sylloga Palladae nomen prae se ferunt. Sunt autem haec:

V. **256**. VI. **60**. **61**, etiam in Pl. eodem ordine. VI. **85**. VII. **607**. **610**. VII. **681—688**. Repetuntur epp. 683—688 ep. 685 excepto a scriba B post XI. 282 paulum varie ita, ut etiam Pl. servavit.

IX. **165—176**. Epigrammatis 175 hac in serie duo priores versus soli inveniuntur, totum ep. exstat post IX. 481 cum lemmate *Παλλαδᾶ Αἰγυπτίου*. A Pl. I^a p. 5^r quoque versus primus et secundus in textum recepti sunt, reliqui versu 4 omisso in margine superiore adduntur. Cum versus 3—6 soli intellegi nequeant, totum ep. omnes 6 versus continere apertum est. Pl. hanc seriem in variis capitibus disposuit, 167 nullo lemmate, sed hoc ordine 165: 166: 167. Ep. 174 modo versus 1—6 prodit, sed reliqui versus procul dubio adiungendi sunt.

IX. **180—183**, eodem ordine Pl. In P. 180 et 181 iterum leguntur post XV. 17 n. l. (cf. tabul. photogr. 668), sed coniunguntur cum epp. quae alibi Palladae tribuuntur. Eodem loco epp. 180 et 181 cohaerent. Qua coniunctione cum ep. nimis ineptum et languidum reddatur, utrumque ep. secernendum est.

IX. **393—395**. **397**. Iterum traditur inter epp. de Lacedaemonia illa scripta in margine ep. VII. 230, adscriptum a scriba C ex Michaelis Chartophylacis apographo cum lemmate *Παλλαδᾶ*.[3])

IX. **441**. **484**. **486**.

IX. **487** n. l. sed repetitur post XI. 316 in serie Palladae epp.

IX. **489**. **773**, Pl. IV^b 100^r n. l.

---

[1]) Aliter sentiunt Couvreur rev. crit. 1895. I p. 49 et Reinach rev. des études Gr. 1895. p. 143.

[2]) Qua de re solus, sed obiter Weigand egit, Rh. M. 1845 p. 561 et p. 565.

[3]) Non recte Duebner notat additum esse hoc ep. ad ep. VII. 223. Exstat inter alia eiusdem argumenti epp. p. 240 codicis lineis obversis. Cf. Finsler, Kritische Untersuchungen zur Geschichte der griech. Anth. p. 111.

X. **34**. X. **44—63**, a Pl. disturbata multis in capitibus; ep. 45 Salmasius, qui omnino Palladae saepissime maledixit, Luciano tribuit propter argutias et concinnitatem, quae causa plane nihil valet. Quod dicit membranis adfirmari coniecturam suam, errat, cum P. et Pl. Palladae adscribant hoc ep. ep. 49. Pl. omisit, quod ei nimis corruptum erat. Constat enim Pl. saepius epp. omisisse, quae nimis aut corrupta aut obscoena ei videbantur.[1]) ep. 55. sequitur in Pl. I^{a} 5^{r} n. l. IX. 187 n. l., sed antecedunt epp. Palladae nomine ornata. Duo posteriora disticha ep. X. 56 a Pl. omissa esse propter corruptionem iam Jacobsius vidit (proleg. p. 89), sed sunt huius ep., cum ipsa integrum ep. explere non possint. ep. 58 bis tradit Pl., quod raro facit, I^{a} 4^{r} et 15^{v}, utroque loco c. l. *Παλλαδᾶ*. In proverbiorum syllogis Luciano adscribitur, qua de re infra dicemus.

X. **65**. **72**. **73**. **75**.

X. **77—99**. ep. 82 sequitur in Pl. c. l. *τοῦ αὐτοῦ* (i. e. Palladae) post X. 32 quod spurium esse infra demonstrabimus. 83 propter corruptionem a Pl. omissum est, ne ep. 86 quidem a Pl. receptum est. 87 iterum legitur post XV. 19 (cf. tab. phot. 668) c. l. *Παλλαδᾶ Ἀλεξανδρέως*. 92 Pl. omisisse, quod versum quartum non intellexerit, veri simile est. ep. 93 quamquam in P. lemmate caret, tamen manifestum est, cum epp. quae sequuntur, lemmata habeant *τοῦ αὐτοῦ*, Palladae esse. ep. 95 etiam post XV. 20 (cf. tab. phot. laud.) prae se fert nomen Palladae; in Pl. I^{b} 86^{r} n. l. Paulssen Palladae esse negat, quae res nobis infra explananda erit. epp. 97 et 98 in P. coniuncta sunt, qua de causa ep. 98 lemmate caret; Pl. merito in diversis capitibus distribuit, cum diversi argumenti sint.

XI. **54** et **55** in syllogis minoribus *B* et *S*, de quibus infra verba nobis facienda erunt, alio modo dispertita sunt: ep. 54 vv. 1—4 et 54 vv. 5, 6 55 vv. 1, 2. sed contextum sententiarum respicienti P. et Pl. rectius partiri mihi videntur.

XI. **62**. **204** in Pl. I^{b} 88^{r} n. l. et cum textu discrepante.

XI. **255** etiam a scriba Σ^{π} in fine libri XI. traditur Palladae nomine addito.

X. **263**. **283—292**. Huic longae seriei Palladae epp. iam laudata VII. 683—688 antecedunt cum Palladae nomine, sed ordine diverso.

Initium huius seriei 280—282 Pl. Lucillio tribuit, de quo vide infra.

286 a Pl. omissum. 288 Pl. II^{b} 88^{r} n. l. 291 Pl. II^{b} 88^{v} n. l., antecedit ep. Lucillii, sequitur XI. 355 n. l. quod P. Palladae tribuit. 292 a P. et Pl. Palladae tribuitur, ab aliis Themistio, qua de re nobis in capite II tractandum erit.

---

[1]) Cf. Huschke, Analecta critica in Anth. Gr. p. 261.

XI. **299—307**. Ep. 304 a Pl. non recte dissectum, deinde emendatum. XI. 306. Pl. II^b 87^v n. l.

XI. **323** interrumpit seriem epp. *κατὰ στοιχεῖον* incipientium coronae Philippi (318—327).

XI. **340** (Pl. II^b 87^v n. l.) **341**. **349**. **351**. **353** (Pl. II^b 87^v n. l.) **355** (Pl. II^b 88^v n. l.) **357** (Pl. II^b 88^r n. l.) **371** (Pl. II^b 88^v n. l.) **373**. **377** (Pl. II^b 88^r n. l.) **378**. **381**. **383** (Pl. II 87^v n. l.) **384** (Pl. II^b 89^v n. l.) **385** (Pl. I^b 84^v n. l.) **386**. **387**.

Etiam in libro XV parva series epp. Palladae exstat post XV. 19 (cf. tab. phot. 668).

X. 87. *Παλλαδᾶ Ἀλεξανδρέως.*

XV. 20. *ἄλλο ὁμοίως.*

X. 95. *γνώμη τοῦ αὐτοῦ.*

Lemmate *τοῦ αὐτοῦ* ep. X. 95 etiam XV. 20 Palladae tribuitur. Cum argumentum quoque huius ep. simillimum sit epp. Palladae, quin genuinum sit hoc ep., non est dubitandum. Pl. omittit, cum omnino librum XV. non excerpsisse videatur.

Quibus ex 132 epp. quae in utraque anthologia Palladae tribuuntur, unum amatorium est: V. 256, in quo Palladam pulchritudinem meretricis cuiusdam magnis laudibus efferre valde miramur, cum ex ceteris epp. eiusdem poetae quantopere mulieres oderit, sciamus. Quod ep. cum omnino nihil habeat commune cum Palladae epp. et cum legatur in epp. serie, quae prorsus vacat carminibus Palladae, Stadtmuellero praeeunte[1]) suspectum habeo.

Etiam ep. X. 88 quamquam invenitur in longa Palladae serie, tamen tantum praebet offensionis, ut num sit genuinum dubitem: repugnat enim eis, quae Palladas de animae immortalitate sentit, discrepat, quod utitur elisione nominis ante pedem quintum, quam Palladas evitat, dissentit, quod *ᾅδης* dicit, pro quo Palladas semper *ἀΐδης* adhibet, quas res infra explicabimus.

B. Transeamus ad ea Palladae epp. quorum lemmata in utraque anthologia inter se discrepant.

IX. **5** et **6** in P. sunt Palladae, Pl. epigrammate 6 propter corruptionem veri similiter omisso ep. 5 I^b 83^r tradit inter alia in arbores epp. n. l. cum ep. quod praecedit, non eiusdem poetae sed eiusdem argumenti sit. Quod argumentum etsi Palladas non habet in deliciis, tamen in eis putandum est, quibus Palladas alios poetas imitatur, cuius generis epp. a Pallada multa sunt scripta. Exemplum quod sibi imitandum proposuit Palladas, ep. IX. 4 Cyllenii esse videtur.

Falso IX. **57** a Pl. Palladae tributum esse existimo, quod in

---

[1]) Stadtmueller B. ph. W. 1895 p. 356 Pauli Silentiarii esse satis probabiliter conicit.

P. nomen habet Pamphili. Quod ep. non modo plane alienum est a Palladae epp., sed etam imitando expressum est ex ep. IX. 70 Mnasalcae poetae Meleagri coronae. Similiter Pamphilus ep. VII. 201, quod unum praeterea huius poetae est servatum, alium eiusdem coronae poetam imitatur. Qua de causa Pamphilo hoc ep. adsignandum esse iam Salmasius, Brunck, Jacobs, nuper Kaibel[1]) consenserunt.

Ep. IX. **118** et **119** auctorum nomina in P. a librario L primum hoc modo scripta sunt:

118. *Παλλαδᾶ.*

119. *τοῦ αὐτοῦ ἐπί τινι ἄρχοντι κ. τ. λ.* Deinde C hoc modo mutavit: ad ep. 118 nomine eraso adscripsit *Βησαντίνου*, ad ep. 119 ne *τοῦ αὐτοῦ* referretur ad Besantinum, adiecit *Παλλαδᾶ.* Sed Pl. verbis *τοῦ αὐτοῦ* inductus est ut et ep. 119 inscriberet *Βησαντίνου* I^a 11^r et ep. 118 I^a 4^v. Pl. igitur totum niti lectione scribae C patet. L utrumque ep., C solum ep. 119 Palladae tribuit.

Sed primum ep. 118 non a Pallada scriptum esse eo apparet, quod est in Theognidearum sententiarum collectione, quam iam diu ante Palladam perfectam esse certum est. Si ponimus scribae L syllogam a Pallada compositam in manibus fuisse, qua de re infra plura dicemus, hac significatione id unum exprimi veri simile est hoc ep. in illa collectione exstitisse item atque ep. 119, quod totum Palladae ingenium sapit.

Id unum restat ut enucleemus, unde scriba C habeat nomen *Βησαντίνου*. Quod nomen in P. nusquam invenitur nisi ad carmen XV. 27 appositum: *Βησαντίνου ῥοδίου ᾠόν*; eodem modo in subscriptione huius ep.[2]) et in indice anthol. Palat.[3]) Haeberlin l. l. p. 22 et p. 35 pro certo opinor demonstravit hoc carmen, quo ovi figura exprimitur, Simmiae tribuendum esse. Sed aliter sentiendum est de altera ara, quae est inter carmina figurata, de ara Musarum, quae in P. n. l. in codice o = cod Vatic. 434 Haeberlino l. l. p. 81 teste inscripta est *Βησαντίνου.* Quod nomen ethnicum esse Haeberlin putat sumptum ab oppido Aegyptio *Βησαντινόου πόλις* appellato, quod ab Hadriano nomen Antinupolim accepit. Cum Helladium *πόλεως Βησαντινόου*, quem Photius chrestomathiam iambicam composuisse tradit[4]), hanc aram scripsisse negandum sit, Haeberlin anonymum Besantinum alterius p. Ch. n. saeculi auc-

---

[1]) Comment. in honor. Mommsen. p. 331.

[2]) Haeberlin, carmina figurata p. 77 et p. 79.

[3]) In Hasii notitia codicis Palat. expressa in ed. anth. Gr. Duebner. vol. I p. XIV.

[4]) Phot. cod. 279. Quod Haeberlin de Vestino quodam conicit, Philol. 49 (1890) p. 279, audacius est, quam ut ipse quemquam assensurum esse speret. Bergk quoque anthol. lyr.[3] p. LXXXIX quid significet *Βησαντίνου* in medio relinquit.

torem arae Musarum esse censet, cui nuperrime Knaack assentitur.[1]) Si conicimus lemma ep. 118 *Βησαντίνου* item significare nomen gentilicium, nomen proprium omissum esse hoc quoque loco nobis putandum est, sicuti Haeberlin de loco codicis o censet, quod utroque loco, cum nulla re inter se cohaereant, nimis habet offensionis, praesertim cum ad XV. 27 iam aliud nomen gentilicium (*ῥοδίου*) additum sit. Quae omnia si consideraverimus, facilius poetam Besantinum exstitisse concedemus quam Haeberlin.[2]) Utut res se habet, hoc quidem certum est ep. IX. 119 membranis consentientibus Palladae esse tribuendum, ep. 118 non esse Palladae, sed ex sententiis Theognideis ereptum.

Brevem seriem IX. **377—379** Palladae esse P. tradit, ep. 377 Pl. II^b 89^r n. l. Sed cum Palladas eiusdem generis argumenta saepius tractet, procul dubio Palladae est. Pl. cum ad ep. 378 I^a 6^r et ad ep. 379 I^a 17^v adscribat *ἄδηλον* (in P. quoque manu recentiore *ἄδηλον* additum est), recte mihi scribere videtur, quod ep. 378 praecipue valde a Palladae ingenio abhorret. Repugnat enim forma huius ep., quae est elegiae simillima, cum brevibus et rotundis Palladae sententiis et cogitare iubet de Agathia aut alio cycli poeta. Qua causa commotus haereo, num sint haec duo epp. Palladae.

Impedita et perturbata sunt, quae codices de epp. IX. **399—401** produnt. Exstat haec series in parte codicis P., quae omnino multas praebet difficultates manus distinguentibus. Rem Stadtmueller mihi sic exposuit: A* scribam, qui praeterea in hac parte ab J scriba scripta (p. 421—452 = epp. IX. 377—IX. 563) internoscitur, hoc modo scripsisse:

IX. 399. *εἰς γνωστικ° πα*
IX. 400. *εἰς τὴν φιλοσοφ° ὑπατίαν*
Θέωνος θυγατέρα παλλαδᾶ
IX. 401. *ἄδηλον εἰς ἐπιστολήν.*

Post ep. 399 *εἰς γνωστικ°* erasit C, ut solae litterae *πα* cognosci possint, in quibus nomen Palladae latere putatur. Quod tamen non recte putari eo intellegi potest, quod ad ep. 400 nomen poetae, non *τοῦ αὐτοῦ* adscriptum est. Quid? correctori C qui ep. 399 Palladae tribuit, cur ei radendum erat, si nomen poetae iam additum esset? Immo vero affirmandum est has litteras non esse nominis Palladae. Corrector post A* mutavit hoc modo: verbo post ep. 399 eraso ad ep. 400 post *ὑπατίαν* adscripsit *Παλλαδᾶ*. Tum ut errorem evitaret, delevit et ab A* ad ep. 400 adscriptum et sua ipsius manu additum nomen *Παλλαδᾶ* et lemmati ep. 400

[1]) Pauly-Wissowa, s. v. Besantinus.

[2]) Cogitaveris Phaedimi Bisanthini, qui est inter Meleagreos poetas, nomen nescio quo casu adpositum esse ad hos versus Theognideos, de quo vide Knaackium apud Susemihl. hist. litt. Alex. II p. 539.

anteposuit τοῦ αὐτοῦ Παλλαδᾶ, quibus verbis eum ep. 399 quoque Palladae tribuisse apparet. Ad ep. 401 adscripsit καὶ τοῦτο Παλλαδᾶ. C igitur omnia tria epp. Palladae adscripsit.

Ep. 400 iterum legitur post XV. 17 (cf. tab. phot. 668) inter alia Palladae epp. hoc ordine: XV. 17. I. 122 μιχαήλ.

IX. 400 n. l.

IX. 180 et 181 n. l.

XV. 18. 19. κ. τ. λ. cf. supra p. 7.

Pl. nihil adfert auxilii: ep. 399 omittit, 400 I^b 86^r n. l. ep. 401 I^b 86^v n. l. Argumentum si respicimus, ep. 399 ut a Pallada abiudicemus, commovemur. Palladam enim, quem saepe in christianos epp. invehi videbimus, hoc ep., quo gnosticus quidam magnis laudibus effertur, scripsisse credi nequit. Ep. 401 quoque amoenum et venustum pugnat cum acerbitate Palladae ingenii. Itaque cum primo scriba ep. 400 solum Palladae vindicamus.

Epp. IX. **500—503** sunt haec lemmata:

IX. 500. ἄλλο εἰς τὴν κατάπτωσιν Βηρυτοῦ.

IX. 501. n. l. εἰς τὴν πολ Βηρῦ (τ).

IX. 502. Παλλαδᾶ πρός τινα φίλον Pl. I^b 84^v Παλλαδᾶ

IX. 503. τοῦ αὐτοῦ. Pl. I^a 10^v Παλλαδᾶ.

Pl. 499—501 in unum ep. coniunxit c. l. ἄδηλον, sed secernenda sunt propter argumenta. Ep. 501 iteratur post XI. 316 longam Lucillii seriem sequens:

1) Παλλαδᾶ = IX. 501.
2) τοῦ αὐτοῦ = IX. 487.
3) τοῦ αὐτοῦ = XI. 317.

Ep. IX. 487 genuinum esse p. 7 iam demonstravimus. Ep. 501 quamquam duobus locis vicinum est epp. Palladae, tamen Palladae vindicare non possumus, nisi forte in eis epp. numeramus, quibus alia epp. imitatur poeta, cum et lemma et quod tractat ep. repugnent; aut Palladas non est auctor aut ep. non de Beryto terrae tremore deleta scriptum est. Epp. 502 et 503 utraque anthologia consentiente inter genuina epp. Palladae sunt inserenda. XI. **317** quod in Pl. quidem est n. l. II^a 23^v, Palladae retineo.

Ep. IX. **528** in P. fert titulum Παλλαδᾶ, in Pl. ἄδηλον. Pl. cum addat εἰς Εὐτύχιον integrius lemma legisse videtur. Quare haesito num sit Palladae, praesertim cum nihil habeat Palladae simile.

X. **121** in P. Ῥάρου, in Pl. Παλλαδᾶ inscriptum est. Hoc nomen Ῥάρου quod alio loco anthologiarum non invenitur quid significet, multi explicare conati sunt, ex quibus ei soli nobis sunt tractandi, qui de Pallada verba fecerunt. Sed quod argumento huius ep. nixi alii dicunt alii negant Palladae esse, intellegi potest, quantum valeat iudicium de argumento factum. Quae Rubensohn (J. J. 1889 p. 656) hoc de ep. dicit, cum Maximum Planudem

defendere conetur, non recta sunt, nam epp. X. 121 et XI. 385 in Pl. non inserta sunt post epp. X. 44 et XI. 323, sed I^b 84^v inveniuntur. Praeterea XI. 385 in P. non est ἄδηλον, sed n. l. Itaque dubito num Rubensohno fides habenda sit, qui se Pl^M inspexisse dicit.[1]) Quae cum ita sint, profiteri cogimur nos nescire quibus causis commotus Pl. hoc ep. Palladae tribuerit.[2])

Lemmata eorum epp., quae longae Palladae seriei XI. 282—292 antecedunt et succedunt, cf. p. 8, cum valde inter se dissentiunt, tum Palladae et Lucillii nomina confundunt. Quae inter epp. diiudicare eo difficilius est, quod epp. utriusque poetae consimillima sunt.

Ep. XI. **279** in P. lemmate τοῦ αὐτοῦ Lucillio adsignatur, in Pl. II^a 23^r ordo alius est atque in editionibus:

XI. 138. *Λουκιλλίου.*

XI. 278. *τοῦ αὐτοῦ.*

XI. **279.** *τοῦ αὐτοῦ εἰς γραμματικὸν κερασφόρον.* Pl^a i. e. Aldina princeps Pl. tradit *ἄδηλον,* deinde corrigit Planudem sequens *οὐκ ἄδηλον δεῖ ἐπιγράφειν ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ εἰς γ. κ.* Sed lemma de argumento factum falsum esse apparet, quod ad ep. praecedens referendum est, quo modo P. tradit. Quod codices quidam teste Stephano hoc ep. Palladae tribuunt, coniectura factum est, quam Duebner probat. Ac profecto arridet, cum et argumentum et compositio Palladae sint consimillima. Nisi repugnarent et quod utraque anthologia consentit et quod ad ep. XI. 280 nomen Palladae denuo adscribitur, ep. 279 in primis sine ullo dubio Palladae tribuendum est.

XI. **280** ep., quod et in P. et in Pl. Palladae adscribitur, primum est longae seriei epp. scopticorum.

Ep. XI. **281** in P. *τοῦ αὐτοῦ,* in Pl. I^a 10^v post ep. IX. 503 *Παλλαδᾶ* lemmate *Λουκιλλίου* inscriptum ab omnibus viris doctis usque ad Jacobsium Lucillio tributum est. Jacobs primus hoc ep. Palladae dedit ordine commotus, quod est in longa Palladae epp. serie.

Ep. XI. **282.** *τοῦ αὐτοῦ* in P., exstat etiam in Pl. post ep. XI. 281 c. l. *τοῦ αὐτοῦ* (scil. Lucillii). Non recte Duebner et Sakolowski[3]) dicunt cohaerere hoc ep. cum praecedente. Deest quidem ep. 282 signum initii, sed exstat post ep. 281 signum clausulae. Recte Pl. disiunxit epp., cum eorum argumenta inter se discrepent.

---

[1]) Engelum, de quibusdam Anthol. Gr. epp. commentat. Elberfeld 1875, nimis audacter *Νικάρχου* mutantem ex *Ῥάρου* Finsler l. l. p. 125 improbat, qui Diltheyo consentiente Rarum esse cognomen Romanum nomine proprio omisso putat.

[2]) Placet, quod Stadtmueller sentit B. ph. W. 1893 p. 101, qui ep. IX. 289 collato hoc ep. Basso tribuit.

[3]) Sakolowski, de anth. Palat. quaestiones. Lips. 1893. p. 17.

Lemmata eorum epp. quae hanc seriem XI. 282—292 sequuntur, Sakolowski l. l. adnotavit. Sed epp. inter Palladam et Lucillium distribuentibus nobis certum fundamentum deest. Argumenta si respiciamus, fortasse ep. 294 Palladae vindicabimus, ep. 293 Lucillii esse videtur, cum nominibus Olympio similibus Lucillius saepe utatur: Olympicus XI. 75, 76, 112, 162, Olympus X. 161. Argumentum ep. 295 utriusque poetae est, tamen si comparemus cum ep. XI. 396, rectius Lucillio tribuamus. Sakolowski sine ullo scrupulo nulla causa addita haec epp. distribuit, Palladae esse epp. XI. 281, 282, 293, 294, 295 pro certo posuit. Quam rationem tantum abest ut sequamur, ut nos inter haec epp. certum iudicium proferre non posse profiteamur.

Ep. XI. **310**, cuius auctorem exquirentes item inter Lucillium et Palladam haesitamus, fortasse Lucillii est, cum inter epp. Lucillii (308—316) inveniatur.

XI. **343** in P. n. l. in Pl. *Παλλαδᾶ*. Unde Pl. nomen hauserit, nescimus. Nisi Pl. hoc nomen addidisset, vix quisquam hoc ep. ad Palladam referret, cum indole et loco alienissimum sit a Pallada.

XI. **354**. *Ἀγαθίου Σχολ.* in P.; in Pl. non Palladae ut notat Duebner[1]) sed n. l. II[b] p. 87[v] est. Antecedit ep. XI. 397 certo Lucillii, cum in P. exstet in serie alphabetica anthologii Diogeniani, in Pl. n. l. Sed neque Palladae neque Lucillii esse, sed Agathiae concedendum est, cum Agathias parvas elegias huius generis in deliciis habuerit; evolve e. g. XI. 352, 365, 376, 382.

XI. **430**. *Λουκιανοῦ*, a. Pl. II[a] p. 29[v] Palladae tribuitur, cum n. l. inter epp. XI. 292 *Παλλαδᾶ* et XI. 273 *τοῦ αὐτοῦ* reperiatur. Sed in P. exstat in serie alphabetica anthologii Diogeniani (epp. 417—436) inter alia Lucillii — nam sic pro Luciano scribendum est — epp. (427—436) Quae epp. Ammiana adsignanda esse Setti et Stadtmueller viderunt.[2])

Ep. XI. **273**, quod sequitur in Pl., ab eodem Pl. aut Palladae aut, si nomen ep. XI. 430 praetermissum esse conicimus, Lucillio aut Ammiano tribuitur. Exstat in parte codicis P., cuius lemmata ita corrupta et disturbata sunt, ut certo diiudicari non possit, a quo hoc ep. scriptum sit.

Miramur quod tanta multitudo proverbiorum Palladae adscribitur.

Ep. X. **32** titulum est Palladae et in P. et in Pl. et in codice quodam Laurentiano a Bandinio descripto[3]) quem ex Pl. pendere apparet. Quod proverbium cum multis aliis locis laudatur, tum

---

[1]) Weisshaeupl quoque l. l. p. 25 hoc lemma non recte notat.

[2]) Setti, gli epigrammi di Luciano. Turino 1892. Stadtmueller B. ph. W. 1893 p. 103.

[3]) Catalogus bibliothecae Laurentiano-Mediceae plut. 31 cod. 28, de quo infra dicemus.

reperitur, id quod maximi est momenti, in genuina illa epitoma proverbiorum Zenobii, quam Miller primus invenit ediditque[1]) et genuinam esse Crusius demonstravit.[2]) Cum Zenobius syllogas paroemiorum Lucilli Tarrhaei et Didymi excerperet, hoc proverbium ex altera harum syllogarum fluxisse patet. Itaque hoc proverbium ante Palladam ortum neque ab eo factum esse manifestum est. Ut lemma *Παλλαδᾶ* declaremus, putandum est, nisi forte scribam diligentia caruisse arbitramur, eum, qui librum XI. anth. Pal. collegit, hoc proverbium in sylloga Palladana invenisse et nomen syllogae adpinxisse. Similiter iam Weigand (Rh. M. 1845 p. 565) existimavit veri similius esse Cephalam collectione Palladae usum esse quam hanc sententiam ex Zenobii libro ipso sumpsisse. Praetermittere nolo Stobaeum quoque ex paucis epp., quae eadem atque anthologiae tradit[3]), hoc proverbium recepisse sed cum lemmate *Ὁμήρου Ὀδυσσείας.*[4]) Stobaeum cum nulla epp. collectione uteretur, hoc quoque proverbium aliunde hausisse liquet. Pleraeque editiones Pl. merito hoc ep. *ἄδηλον* inscripserunt.

Sententiae X. **106** in P. et Pl. lemma *παροιμία ἐπὶ κ. τ. λ.* est nomine auctoris non addito; sola editio Lascaris i. e. Aldina princeps Palladae tribuit. Quam editionem fluxisse ex codice vitiorum pleno, qui nihil pro autographo Pl. valeret, Dilthey demonstravit[5]). Fortasse nomen *Παλλαδᾶ* ex verbo *παροιμία* negligentia librarii mutatum est.

Praeterea nonnulla epp. Palladae in paroemiorum collectionibus reperiuntur, quae post Palladam has in syllogas inserta esse apertum est. Qua de re nobis infra uberius tractandum erit in cap. IV.

Post ep. IX. 503 versus Nicandri exstat in P. n. l. qui in edd. Pl. et apographis quibusdam Palladae adscribitur, haud recte nimirum, fortasse quod oculi scribae aberrabant ab epp. Palladae praecedentibus.

Ep. VII. **339** hoc lemma, quod nobis epp. Palladae perscrutantibus summi est momenti, qua de re vide infra finem cap. III, a scriba L adscriptum est: *ἄδηλον ἐπὶ τίνι τοῦτο γέγραπται: πλὴν ὅτι ἐν τοῖς τοῦ Παλλαδᾶ ἐπιγράμμασιν εὑρέθη κείμενον· μήποτε δὲ Λουκιανοῦ ἐστιν.*[6]) Ei, qui quae Pl. tradiderit, notant, dissentiunt. Stadtmuellero teste ep. 339 in Pl. II^{b} p. 89^{r} nullo nomine auctoris addito est primum ep. capitis cuiusdam. Ep. quod prae-

---

[1]) Miller, mélanges de la littérature Gr. p. 341.
[2]) Crusius, analecta critica ad paroemiographos Graecos.
[3]) Sunt tria tantum, cf. Weigand. l. l. p. 567.
[4]) Stobaei Florileg. cap. CXI, 14 (Floril. l. IV cap. 45.)
[5]) Ind. lectionum Gotting. H. S. 1891/2.
[6]) Stadtmueller accuratius adnotavit ed. I praef. p. XIX quomodo scriba scripserit.

cedit, XI. 436 non est Palladae. Pl. edd. mutaverunt: Pl[I] et Pl[a] ἄδηλον adscripserunt, Pl[S] ἄδηλον οἱ δὲ Παλλαδᾶ certo lemmate codicis P. commota. Scriba L igitur aut is, cuius apographum L exscripsit, quamquam hoc ep. inter epp. Palladae invenit, tamen Palladae tribuere non ausus est. Nam si Palladae esse persuasum habuisset, Παλλαδᾶ scripsisset, ut semper alibi. L aut is, cuius autographum L in manibus tenebat, ad finem lemmatis adiecit fortasse hoc ep. Luciani esse. Argumentum utriusque poetae est. Cum certa ratio diiudicandi desit, contenti esse debemus quod hoc ep. inter Palladae epp. exstitisse legimus.

Ep. **118** quoque quod sequitur in Pl. II[b] p. 89[r] n. l. a scriba B in P. ἄδηλον inscriptum est. Apparet alterum carmen ab altero pendere, cum non modo easdem sententias tractent, sed etiam nonnullos versus verbo tenus eosdem proferant: VII. 339 ep. vv. 1 et 2 idem sunt atque ep. X. 118 vv. 3 et 4. Aut eiusdem poetae sunt aut alterum alteri exemplum propositum est.

Epp. **134** et **135** iure a Duebnero in unum ep. contracta sunt P. praeeunte. Versus 9 et 10 Pl. omittit. Totum ep. non solum lemmate sed etiam versu in fine addito ἄδηλον significatur. Scholiastes primus fortasse hoc carmen Palladae esse coniecit, id quod reliquis Palladae epp. collatis, in primis IX. 172, arridet; neque tamen est obliviscendum hanc coniecturam auctoritate codicum carere.

Item mera coniectura, non litteris traditis nitimur, si ep. IX. **49** quod in P. n. l. in Pl. ἄδηλον est, eidem poetae atque ep. IX. 134/5 tribuimus, nam primi versus uno verbo excepto consentiunt atque ep. IX. 49 v. 2 consimillimus est IX. 134/5 v. 7.

C. Nunc pervenimus ad ea Palladae epp., quae in altera sola anthologia reperiuntur. Exquiramus primum ea epp. quae a Pl. solo tradita in appendice Anthologiae Palatinae (libro XVI) collecta esse notum est. Planudem caput epp. in statuas sive picturas factorum excerpsisse constat, quod in P. non est servatum.[1]) Et sunt huius generis omnia tria epp. quae Palladae esse Pl. tradit. XVI. **207** in Pl. IV[a] p. 48[v] Amoris imaginem a recentiore artifice factam describit. Statuas Amoris Palladas saepius commemorat.

XVI. **282** in Pl. IV[a] 53[r] in imagines Victoriarum factum est. Causa, qua Boissonade commotus Palladae esse negat[2]), non valet: nam primum Palladas dè rebus Constantinopolitanis saepe verba fecit (cf. epp. XI. 292 IX. 528), deinde in codicibus maioris auctoritatis v. 2 φιλοχρήστῳ πόλει est servatum; poeta etiamsi

---

[1]) Jacobs. proleg. p. 86. — Finsler l. l. p. 118. — Benndorf, de anth. Gr. epp., quae ad artes spectant. Bonn 1862.

[2]) In commentario huius ep. ed. Duebner.

φιλοχρίστῳ scripsisset, aliam quamvis urbem designare potuit. Cur non Alexandriae? Deinde Victoriae in ep. commemoratae non eaedem esse possunt ac quas Ducangius Cpoli fuisse narrat[1]), cum illae pictae (cf. v. 3. *ἔγραψεν ἡμᾶς*), hae sculptae fuerint.

Tertium ep. quod restat XVI. **317.** in Pl. IV[a] p. 57[v] ineptum rhetorem illudit nomine Gessium. Cum Gessius, quem Palladas epp. VII. 681—688. exagitat, non sit rhetor, duo Gessii secernendi esse videntur. Palladas quamquam utitur nominibus fictis in epp. irrisoriis, tamen nunquam idem nomen diversis hominibus tribuit, quod Lucillium persaepe facere videmus. Praeterea nihil habet hoc ep., quod consentit cum epp. VII. 681—688., sed est argumentum ab epigrammatariis saepe tractatum; *ἄδηλον* fuisse hoc ep. mihi videtur, cui postea propter Gessium commemoratum Palladae nomen inditum sit.

Dein epp., quae sola anthologia Palatina servantur, haec sunt:

Ep. IX. **528.** habet p. 447. codicis P. titulum *Παλλαδᾶ*, pagina sequente iteratur lemma *Παλλαδᾶ τοῦ μετεώρου κ. τ. λ.* A Pl. ep. omissum est, fortasse quod in christianos scriptum est.

Lemmata epp. V. **70.** et **71.** tam difficile est dignoscere, ut unus Stadtmueller, ut habitat in codice Palatino, diversas manus, quae haec lemmata corrigebant, recte discernere potuerit. Reliqui omnes, qui hac de re verba fecerunt, ut Finsler l. l. p. 126, qui haec epp. Palladae tribuit, et Sternbach[2]) rem non recte explicaverunt.

Illustremus Stadtmuellero teste[3]), quo modo lemmata tradita sint: Scriba A omnia epp. Rufino tribuit, inscribit enim V. 68. Rufini, 69. *τοῦ αὐτοῦ,* 70. *τοῦ αὐτοῦ,* tum adiungit ep. 71. nullo discernendi signo et nullo lemmate addito, id quod plane metrum et argumentum vetant. Pergit A: ep. 72. n. l., 73. *τοῦ αὐτοῦ,* qua re etiam ep. 72. Rufini esse significat. Lemmatista L epp. 70. et 71. Palladae adsignat, cum *τοῦ αὐτοῦ* ep. 70. eraso *Παλλαδᾶ Ἀλεξανδρέως* scribit et signis discernendi adpictis ad ep. 71. *τοῦ αὐτοῦ* addit; inde ab ep. 72. iterum scribam A sequitur in nova pagina (p. 91. cod. P.) lemmate *Ῥουφίνου* iterato. Corrector C inter utrumque poetam non diiudicat, sed ante lemma scribae L scribit *τοῦ αὐτοῦ οἱ δὲ* (sc. L *Παλλ. Ἀλεξ.*) et ad ep. 72., quod omnino adhuc lemmate caruit, *καὶ τοῦτο δὲ τὸ ἐπίγραμμα Ῥουφίνου.* C scribam, cum in codice, ex quo codicem P. correxit, ep. 70. *τοῦ αὐτοῦ* (sc. Rufini) et in P. nomen Palladae a L scriptum inveniret, utrique lemmati satisfecisse veri est simile. Itaque L in primis haec epp. Palladae vindicat. Quae L tradiderit et quibus fontibus usus sit,

[1]) Constantinopolis christiana II. p. 175.

[2]) Sternbach, Appendix Barberino-Vaticana p. 99, quem correxit Stadtmueller, Bl. f. d. bayr. Gym. 1890. p. 552.

[3]) Et in varia lectione horum epp. et in praef. ed. vol. I. p. XVIII.

perspicere nondum possumus, cum nondum omnia, quae L scripsit, in editione Stadtmuelleriana edita sint. Id unum videmus scribam L aut eum, quem L exscripsit, non multum versatum esse in lemmatis diiudicandis eumque versa folii pagina nonnunquam auctorum nomina iterasse: libri V. haec tria nomina scripsit, libri VI. nullum. Sed certiora de Palladae epp. eum scivisse iam ex lemmate ep. VII. 339. intelleximus. Argumenta quoque a Palladae ingenio haud sunt aliena: similiter Palladas ludit nominibus, immo Andromachae vero nomine item parodice utitur (cf. epp. XI. 378. IX. 168.). Sententiam quoque *ἀπόλαυε τοῦ σήμερον* Palladas persaepe terit. Quam ob rem genuina esse haec epp. Palladae putaremus[1]), nisi aliis ex causis potius Rufini esse viderentur.[2]) Ut praetermittam primum scribam A Rufino ipsi dare haec epp.: locus quoque, ubi exstant, Rufino favet. Epp. enim V. 1—102. efficere syllogam Rufinianam neminem fore spero, qui neget.[3]) Sakolowski Weigando l. l. p. 554. praeeunte cum epp. Rufini anthologio Diogeniani tribuat, epp. V. 1—102. non a Rufino ipso, sed a recentiore collectore hoc ordine composita esse conicit. Weisshaeupl haec epp. esse fragmentum recentioris syllogae censet, quae fortasse a Rufino facta sit. Qua re commovetur, ut Rufinum quinto p. C. n. saeculo floruisse contendat. Cui si assentiamur, existimandum nobis est Rufinum Palladae epp. manibus tenuisse. Quod demonstrare possemus, si quo tempore Rufinus vixisset, enucleavissemus. At hoc facere adhuc non posse nos dolemus.

Comprehendit sylloge Rufiniana epp. Rufini et fragmenta coronarum et Meleagri et Philippi; epp. anthologii Diogeniani quoque inserta sunt, at epp. cycli Agathiae desiderantur. Sed insunt et poetae, quorum aetatem investigare non possumus: Onestes (V. 19.) Gallus (48.) Capito (66.) Dionysius sophista (80.) Claudianus (85.). Quibus poetis exceptis Palladas recentissimus omnium poetarum syllogae Rufinianae est, id quod suspectum habendum est.

Rufinus quoque nominibus ludit et eis ambigue utitur cf. e. g. ep. V. 70. ep. V. 8, ep. V. 21, ep. V. 43, cf. praeterea ep. V. 35, ep. 46. Saepe eadem argumenta tractat atque epp., de quibus verba facimus, cf. ep. IV. 11. et ep. 71.

Quas causas si animis complectemur, certum iudicium de poeta proferre abstinebimus.

Quibus causis eo minus commovemur, ut aliud ep., quod exstat in eadem sylloga Rufiniana, Palladae tribuamus, quod auctoritate codicum caret: ep. V. 76. in P. Rufino tributum, in Pl. omis-

[1]) Palladae tribuunt Jacobs, Boissonade, Finsler, Sternbach.

[2]) Rufini causam agunt Brunck et Weigand.

[3]) Qua de re egerunt Weisshaeupl l. l. p. 38, Sakolowski l. l. p. 64, quem refutavit Stadtmueller ed. I. praef. p. XXVI. et B. ph. W. 1895 p. 356.

sum est, in appendice Barberino-Vaticana est ep. 23. Quod ep. quod plane diversum est a Rufini indole, alii poetae tribuere viri docti iam pridem conati sunt: Salmasius primus Palladae adsignavit, quod plerisque usque ad Sakolowskium (l. l. p. 62.) placuit. Non recte Sternbach (app. Barb. p. 79.) fragmentum Agathiae Daphniacorum esse coniecit. Stadtmueller primum haesitavit inter Rufinum et Palladam[1]), tum certis causis commotus est, ut Claudiano vindicaret hoc ep.[2]), quod probo.

D. Minores epp. syllogae, quae praeter anthologias P. et Pl. exstant, ad lemmata auctorum diiudicanda primum a Stadtmuellero accuratius adhibitae sunt. Quibus cum unum certe ep. Palladae servatum sit, quod deest in P. et Pl., breviter de eis disputemus. Longe gravissima inter eas est sylloge Euphemiana, tribus codicibus servata[3]) et a Schneidewino edita.[4]) Idem vir doctus hanc collectionem fortasse ante Cephalam ortam esse, quamquam codices recentiores sunt codice Palatino, sed ex eisdem fontibus fluxisse, ex quibus Cephalae anthologia, demonstravit. Sunt in sylloga Euphemiana Schneidewino teste haec epp. Palladae:

E^R ep. 43. n. l. = XI. 255.
— — 68. n. l. = IX. 489.
— — 44. n. l. = *XI. 293.*[5])
— — 58. *ἐπιτύμβιον ἄδηλον* = *IX. 49.*
— — 74. *Παλλαδίου* in P. et Pl. omissum.
— — 75. cum praecedente coniunctum est.

In margine *ἄλλο* scriba aut corrector addidit, postquam haec epp. secernenda esse intellexit. In P. = ep. XI. 378. et Pl. II^a p. 23^r Palladae tribuitur, quod Schneidewin non recte notat, cf. supra p. 9. Quod ep. quin genuinum sit, cum non sit dubitandum, lemma praecedentis ep. mutandum est in *Παλλαδᾶ* ex *Παλλαδίου*, quod calami lapsu ortum esse apparet. Ep. igitur 74. sylloga Euphemiana sola servatum Palladae inscriptum est.[6])

Quod ep. ex sylloga Euphemiana etiam in alias epp. collectiones migrasse videmus, quae quo modo inter se cohaereant, nondum explicatum esse valde dolemus, sed sperare possumus fore, ut haec quoque ratio Stadtmuelleri editione illustretur.

Hoc ep. invenimus etiam in codice Vindobon. 311., cuius in-

---

1) B. ph. W. 1890 p. 1391.
2) J. J. 1891 p. 332 et in var. lect. huius ep.
3) cf. Stadtmueller. ed. I. praef. p. XIII.
4) Schneidewin, progymnasmata in anth. Gr. A Stadtmuellero E^R significatur
5) Obliquis numeris significo ea epp., quae num a Pallada scripta sint, dubium est.
6) Editum est in Jacobsii Anth. Pal. append. ep. 1. et in Duebneri Anth. Pal. vol. III. a Cougnyo recensiti cap. III. 145, ubi lemma cod. E^P additur.

dicem Sternbach publici iuris fecit[1]), qui eodem loco p. 25. lemma huius ep. notat: *Ἀγαθίου* (man. pr. *Ἀσθίου* interpolatione) *κακὴν σχόντος γυναῖκα.*

Eodem modo exhibetur in codice Matritensi 114. Lascaris[2]), quem cum eo, de quo modo diximus, cognatione coniunctum esse Sternbach Mel. p. 79. contendit. Hoc quoque loco ep. est titulus: *τοῦ Ἀγαθίου σχόντος κακὴν γυναῖκα.* Praeterea Boissonade invenit hoc ep. in duobus manuscriptis Parisino 3019. et Veneto 183., ex quibus primus edidit in Philostrati Heroico (p. 638.) cum nomine Agathiae. Inter Palladam igitur et Agathiam variant codd. Argumentum haud dubie Palladaeum est, cf. simillima epp. Palladae XI. 378. quocum cohaeret in E^R, IX. 168. 169. multa alia. Agathiae nihil simile repperi, qua de causa hoc ep. Palladae vindico.

Alia epp. sylloge a Stadtmuellero Σ significata, recentior quam Euphemiana, anno circiter MCC. orta servatur in duobus codicibus a Bartholomaeo Comparinio scriptis Parisino 1773. et Florentino 57, 29. Cuius indicem Stadtmueller primus in medium protulit (J. J. 1889 p. 769. adnot. 5.), post eum minus diligenter Stadtmuelleri adnotatione non cognita Sternbach (App. p. XIII.). Lemmata auctorum huius collectionis adhuc edita non sunt. Ex Palladae epp. inveni haec:

Σ 42 = XI. 323.	Σ 77 = IX. 170.
Σ 50 = X. 73.	Σ 90 = X. 51.

Accedunt duae collectiones, quae quamquam lemmatis omissis nihil adferunt ad epp. diiudicanda, tamen valent ad textum recensendum. Quas hic non praetermitto:

Sylloge *S* ex codicis Paris. suppl. 352. edita a Cramero (Anecd. Gr. Paris. IV. p. 366.) haud dubie ex Cephalae anthologia, praecipue ex parte a scriba B scripta fluxit, quod Finsler (l. l. p. 97. et p. 105.) demonstravit Kaibelio (Herm. X. p. 1.) repugnante. Palladae exhibet epp.: *S* p. 367: *IX. 573.* *S* p. 375: X. 58, 72, 73, 84. *S* p. 376: XI. 54, 55. *S* p. 377: XI. 255, *273,* 299, 300. *S* p. 378: XI. 349.

Collectionem a Diltheyo ex codice Parisino 1630. editam[3]) epitomam esse syllogae Cramerianae Dilthey et Finsler (l. l. p. 96.) declaraverunt. In primis Palladae epp. excerpsit haec epitome, nam omnia primo ep. *IX. 573.* excepto recepit, cum sententiosa epp. Palladae valde idonea esse putaret ad *γνωμολογίαν δι' ἐπῶν*, quam ut componeret, studuit. Primum ep. *IX. 573.* omisit, quod posteriorem syllogae *S* partem a pagina 374. incipientem sibi excerpen-

---

[1]) Sternbach, meletemata Graeca I. p. 76.

[2]) Descripsit eum Iriarte, Regiae bibliothecae Matrit. codd. Gr. I. p. 450.

[3]) Dilthey, de epp. Graec. syllogis quibusdam minoribus commentatio. Ind. schol. Gotting. A. S. 1887.

dam proposuerat. Sed Diltheyum nimis audacter coniecisse arbitror, cum ex titulo commemorato *γνωμολογία δι' ἐπῶν* hanc syllogam haustam ex maiore quadam sententiarum collectione efficeret; nam librum X. anth. Pal., unde huius syllogae epp. sumpta sunt, eodem modo compositum esse ac reliquos anthologiae Cephalanae libros infra uberius explicabimus in capite tertio. Hanc autem syllogam esse epitomam epitomae libri X. apparet.

In appendice Barberino-Vaticana a Sternbachio edita, quae cum ad anthologiam Pl. supplendam e collectione Cephalana, quin ex ipso codice Palatino sumpta esse videatur, nihil valet in epp. diiudicandis, haec exstant Palladae epp. duo: ep. 23. = *V. 77*, ep. 54. = *V. 71*, de quibus iam supra diximus.

Etiam in codicibus anth. Planudeae contra autographi auctoritatem Palladae epp. quaedam tribuuntur aut neglegentia aut coniectura recentiorum librariorum. Quae nobis tanti aestimanda sunt, quanti quae viri docti nostrae aetatis coniecerunt.

Quibus adnumero codicem a Bandinio (l. l. p. 99.) descriptum bibliothecae Laurentianae[1]), in quo ultimum distichum ep. IX. 9. Palladae adsignatur, quod in P. cohaeret cum quattuor prioribus versibus ep. IX. 9. Julio Polyaeno tributis. Pl^{M} hoc distichum ut integrum ep. bis exhibet et I^{b} p. 85^{r} et I^{a} p. 20^{v} utroque loco Juliani.[2]) Scriba fortasse, quod consimile est Palladae epp. *V. 71* et IX. 395., Palladae esse coniecit. Tamen quae consentiunt in his epp., ita sunt trita, ut, quae autographum tradit, labefacere non possint.

E. Quo ep. tractato ad ea epp. progressi sumus, quae viri docti contra codicum auctoritatem Palladae esse adscribenda coniecerunt. Ep. IX. **573.** in P. Ammiani, in Pl^{M} Lucillii, in *S* n. l. est, scholiastes editionis Wechelianae Palladae tribuit, sed ed. Wecheliana Lucillio ut omnes edd. Pl. Scholia Wecheliana quae vocantur saeculo XVI. conscripta esse neque certo fundamento niti, ubi discrepant a Pl^{M}, constat inter omnes. Hoc ep. si non Ammiano vindicandum esse putamus, at tamen esse Palladae negare possumus, cum *γὲ* vocabula adhibeatur, quam Palladam prorsus vitare videbimus in cap. IV.

Salmasius haec epp. Palladae adsignat[3]):

XI. **396.** Luciani in P., a Pl. omissum. Non recte Salmasius dicit in P. esse n. l. Praeterea cum exstet in serie alphabetica Diogeniani, Palladae non esse certum est, sed Lucillio dandum est, cuius nomen persaepe nomine Luciani permutari notum est.

---

[1]) Plut. 31. cod. 28. iam p. 14. commemoratur.

[2]) Iam Chardon de la Rochette coniecit *Ἰουλιανοῦ* corruptum esse ex *Ἰουλίου*. Mélanges de crit. et de philos. Paris. 1812. p. 390.

[3]) Anth. Plan. ed. de Boschii (Pl^{B}) IV. p. 1. sqq.

Ep. XI. **173.** Philippi in P., in Pl. *τοῦ αὐτοῦ* (sc. Lucillii) Salmasius in notis suis recte *Φιλίππου* indicat, sed in libro suo de usuris inscripto Palladae hoc ep. adscribit causis non additis, cui Jacobs assentitur. Quod ultimum ep. capitis (*εἰς μικρολόγους*) est, unicuique poetae tribui potest, nam neminem fidem habere puto seriei alphabeticae, quam Sakolowski se invenisse partitione capitum neglecta dicit. Non habemus cur a Philippo hoc ep. abiudicemus, praesertim cum nihil habeat Palladae ingenii.

Ep. X. **31.** in utraque anthologia Luciano adscribitur, Jacobs solus in alio codice Palladae esse notat. Cum autem illum codicem ignoremus, quod traditur in optimis codicibus, tenemus.

Ep. X. **33.** a Grotio et Brunckio Palladae adsignatur, quamquam in P. et Pl. *ἄδηλον* est. Neque locus, quo exstat, neque argumentum ansas praebet, quibus diiudicare possimus, cum illi poetae in sententiosis epp. inter se simillimi sint.

Jacobs in aliis quibusdam epp. ingenium Palladae inesse ut existimet, similitudine sententiarum, quae his epp. tractantur, adducitur. Sed si consideraverimus epigrammatistas, qui saeculis p. Chr. n. fuerunt, non fuisse ingeniosos, sed id primum studuisse, ut singulas sententias a prioribus poetis iam tractatas novis formis variarent, et si deliberaverimus Palladam plerumque argumentis usum esse, quae ad universam vitam pertinentia praecipiunt, quae unusquisque epigrammatarius sibi adsciscere potuit Palladae epp. neque cognitis neque ad imitandum propositis, cavendum nobis erit, ne argumentis epp. solis innixi iudicium proferamus. In his numero ep. IX. **127.**, iteratur a Σ^{π} in fine libri XI., utroque loco n. l., E^{k} et S quoque n. l. exhibent.

Idem vir doctus epp. XI. **344.** et **345.** Palladae vindicat causis non adscriptis, quae mea quidem sententia haud sunt similia Palladae epp.

Ad ep. X. **71.** Macedonii Jacobs notat: Ceterum hoc ep. Palladae potius quam Macedonii ingenio dignum est. Tamen exempla huius generis ex fabulis sumpta apud Palladam rarius inveniuntur quam apud Macedonium; itaque non est, cur Macedonio derogemus.

Maiore fide dignum est id, quod Jacobs de ep. Pl. IV^{a} p. 57^{v} = XVI. **194.** sentit, si comparamus genuinum ep. IX. 773. Quae epp. necessitudine quadam coniuncta esse neminem negare puto. Cum Palladas in deliciis habeat eandem sententiam pluribus epp. tractare, hoc quoque ep. Palladae esse concedendum est.

Maxima cum probabilitate etiam ep. XI. **56.** in genuinis Palladae epp. numero, quod iam Weigandum (Rh. M. 1845 p. 561.) fecisse vidi. Cum sententia consimillima et genus scribendi et copia verborum, tum locus, quo exstat ep., Palladae favet, cum epp. XI. 54. et 55. quae praecedunt, eiusdem Palladae sint.

Weigand l. l. nulla causa adscripta in indice epp. Palladae adsignat epp. XI. 3. et XI. 227—229.

Perverse Duebner indicat ep. XI. **410**. in Pl. habere nomen Palladae. Sed exstat II^{b} p. 89^{v}/90^{r} n. 1. et cum in longa Diogeniani serie inveniatur, Lucillio (P. Luciano) tribuendum est.

Stadtmueller (B. ph. W. 1895 p. 358.) inter ἄδηλα mixtarum et disturbatarum serierum libri XI. nonnulla esse epp. genuina Palladae arbitratus epp. XI. **261**. et **359**. Palladae iure ac merito adscribit, quibus iam Jacobs similes locos ex Palladae epp. sumptos addiderat.[1])

Praetereo ep. V. 75. a Pollackio[2]) inscriptum esse Rufini sive Palladae, errore opinor, cum nihil habeat commune cum Pallada.

De eis epp., quae ipse Palladae tribuam, in capite tertio amplius agam.

F. Quibus perquisitis haec 144 genuina Palladae inveni epp.:

VI. 60.	IX. 502.	XI. 317.
61.	503.	323.
85.	528.	340.
VII. 607.	773.	341.
610.	X. 34.	349.
681—688.	44—63.	351.
IX. 5.	65.	353.
6.	72.	355.
119.	73.	357.
165—176.	75.	371.
180—183.	77—99 (88?).	373.
377.	XI. 54.	377.
393—395.	55.	378.
397.	62.	381.
400.	204.	383—387.
441.	255.	XV. 20.
484.	263.	XVI. 207.
486.	280.	282.
487.	283—292.	Append. 1 (= Cougny
489.	299—307.	III. 145).

Epp., quae num a Pallada scripta sint, dubium est, sunt haec

V. 70.	*VII. 339.*	*IX. 378.*
71.	*IX. 49.*	*379.*
257.	*134/5.*	*401.*

---

1) Accedit ep. VII. 307. quod Stadtmueller nuper Palladae epp. adiungit Anth. Gr. II, 1., haud inepte opinor.

2) Mnemosyn. N. s. VI. (1878) p. 215.

IX. 501.	*XI. 261.*	*XI. 294.*
508.	*273.*	*295.*
X. 33.	*279.*	*343.*
118.	*281.*	*359.*
121.	*282.*	*XVI. 194.*
XI. 56.	*293.*	*317.*

Caput alterum.

Pars prior.

De Palladae in Themistium invectione.

Ἄντυγος οὐρανίης ὑπερήμενος, ἐς πόθον ἦλθες
ἄντυγος ἀργυρίης· αἶσχος ἀπειρέσιον.
ἦσθά ποτε κρείσσων· αὖθις δ' ἐγένου πολὺ χείρων.
Δεῦρ' ἀνάβηθι κάτω· νῦν γὰρ ἄνω κατέβης.

His spinosis versibus, qui exstant A. P. XI. 292., epigrammatarius quidam hominem aggreditur, qui descenderit de summa sapientia munere accepto in vitam publicam. In quem invehatur illud ep. scopticum et a quo scriptum sit, nunc nobis est enucleandum.

Primum componamus fontes, ex quibus nobis hauriendum est.

Lemma huius ep. in P. hoc est: *εἰς τ̄ιν φιλοσοφ̀ γενόμ̓ ὕπαῤ πολεως ἔπι Βαλεντινιαν̓ καὶ Βάλεντος:* ∾ *Παλλαδᾶ;* scriptum est a scriba B, ut omnia epp. huius libri.

Pl. IIª 29ᵛ: *Παλλαδᾶ· εἰς Θεμίστιον τὸν φιλόσοφον γενόμενον ὕπαρχον Κωνσταντινουπόλεως ἐπὶ Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος.*

schol. Wech.: *οἱ δέ φασιν Θεμίστιον αὐτὸν εἰς ἑαυτὸν τοῦτο πεποιηκέναι, ὅτε ὕπαρχον αὐτὸν ἐποίησεν Ἰουλιανὸς ὁ βασιλεύς.*

Editio Aldina Themistii[1]) ante opera Themistii inter testimonia scriptoris hoc ep. exhibet c. l. *Θεμιστίου στίχοι εἰς ἑαυτὸν, ὅτι ὕπαρχον αὐτὸν ἐποίησεν ὁ βασιλεὺς Ἰουλιανός.*

Praeterea hoc ep. in nonnullis bibliothecae Mediceae-Laurentianae

---

[1]) Omnia Themistii opera a. 1534. Venetiis, in aed. haeredum Aldi Manutii.

codicibus inveniri Bandini in catalogo notat. In codice Graeco plut. 66. vicesimo tertio saeculi XIV.[1]) alia manu inter Libanii declamationes in fine declamationis cuiusdam adpositum est, ad quam non referendum est, sed folii explendi causa hoc loco adscriptum esse apparet.

Similiter in cod. Gr. 44. plut. 59. saeculi XIV. exeuntis res se habet.[2]) Qui codex miscellaneus praeter opera diversi argumenti in fine Maximi Planudis Graecam versionem Catonis sententiarum servat, quam ep. iterum recentiore manu at corrupte additum sequitur. Etiam huc eadem de causa insertum esse liquet.

Cum Themistii libro coniunctum legitur in cod. Gr. 29. plut. 87. saecl. XIII. eiusdem bibliothecae (cf. Bandinii catalg. III. p. 409), qui Aristotelis de anima librum et Themistii paraphrasin continet. Cuius in fine exstat ep. c. l. *τοῦ αὐτοῦ Θεμιστίου στίχοι εἰς ἑαυτὸν, ὅτε ἔπαρχον*[3]) *αὐτὸν ἐποίησεν ὁ βασιλεὺς Ἰουλιανός.*

Eodem modo traditur in codice Monac. 330. saecl. XV., qui ex codice modo commemorato verbo tenus descriptus est.[4])

Semel laudatur ep. a Theodoro Hyrtaceno, mendico isto scriptore saeculi XIV. in epistula, quae *τῷ πρώτῳ τοῦ ἁγίου ὄρους* missa est[5]): *Καὶ οὐκ ἂν εἴποιμι κατὰ Θεμίστιον·*

Ἦσθα κάτω κρείσσων, ἀναβὰς δ' ἐγένου μέγα χείρων.

Quae inter testimonia duo genera distingui possunt: 1) P. et Pl. maioris auctoritatis duos esse diversos homines notant, a quo et in quem scriptum sit ep.: eum, qui incessitur, esse philosophum imperatoribus Valentiniano et Valente urbis praefectum factum. Pl. indicat nomen Themistium.

2) Reliqui codices minoris fidei Themistium esse eundem, qui ep. scripserit eoque lacessatur, et praeterea ab imperatore Juliano promotum esse tradunt.[6])

Suidas quoque, ut hoc addam, quamquam memoriae prodit Themistium ab imperatore Juliano praefectum urbis Cpolis propositum esse, tamen non expresse dicit eum re vera ab illo imperatore praefectum factum esse.[7])

Perquiramus libros ipsos Themistii, quem codices hoc

---

1) Bandinii catalog. vol. III. p. 366.

2) ibid. vol. II. p. 575.

3) *ὕπαρχος* et *ἔπαρχος* peraeque nominabantur praefecti urbis (P. V.) cf. Corsinum, series praefect. urbis ab. u. c. usque ad a. 600. p. C. Pisis. 1763. p. XXVIII.

4) cf. Themistii paraphrases Aristotelis ed Spengel. praef. p. VI.

5) Edidit La Porte du Theil, notices et extraites des manuscrits de la bibliothèque nationale VI. epist. 61.

6) Hoc ep. Themistio ipsi duo viri docti tribuunt: Muretus, opp. omnia III. p. 59. schol. in Senecae epist. LVIII., quod pulchrius sit, quam ut Palladae ingenii sit; Brunck analect. nulla causa addita.

7) Suidas s. v. *Θεμίστιος.*

cum ep. coniunctum nominant, ut ex eis enucleemus, utrum codices verum tradant necne.

Themistius philosophus ab imperatore Theodosio, qui cognomine Magni ornatur, praefectus urbis Cpolis factus orationem XVII. habuit, qua imperatori gratiam referret. Munus, quod accepit, esse praefecturam urbis ex p. 204ᵇ, a Theodosio datum esse ex p. 205ᶜ intellegitur.[1]) Sexto imperii Theodosii anno Themistius orationem XVIII. habuit[2]), in qua urbis praefecturae sub Theodosio suae mentionem fecit[3]).

Ab inimicis vexatus est Themistius, quod de sublimitate philosophiae descendisset et munus publicum accepisset, quod indignum esset sapiente. Quibus ab impetibus Themistius se defendit oratione, quam omnium eius orationum nobis servatarum ultimam repertam Mai, qui eam invenit ediditque, genuinam orationem Themistii esse certis argumentis demonstravit.[4]) Habuit orationem Themistius, postquam munus iam deposuit, quo per breve tantum tempus functus est.[5]) Dicit Themistius se munere accepto non descendisse, sed, cum ad hoc summum munus ascendat, vere esse philosophum, cum philosophiam in vitam publicam inferat et participem faciat rei publicae administrandae. Persaepe utitur notione *ἄνω* et *κάτω*, iterum atque iterum sublimitatem philosophiae et humilitatem vitae publicae dictitat, identidem declamat contra eos, qui haec sibi esse opposita contendunt: Cap. 9. alloquitur adversarium quendam, qui ei, quod descendisset, opprobrio dederat: *εἶτα λέγεις, ὅτι κατέβην ἐκ φιλονεικίας τὴν ἀρχὴν ὑποστὰς τῆς καλλιπόλεως; εἰ μὲν ἔξω τι τῶν ἐκείνης ἔπραξα παραγγελμάτων, κατέβην· εἰ δὲ πανταχόθεν τοὺς ἐκεῖθεν ἐτήρησα νόμους, οὐ κατέβην, ὦ φίλος, ἀλλὰ κατὰ χώραν ἀναβέβηκα.* Cap. sequente iterat magna cum gravitate verbum *καταβαίνειν: οὐδὲ γὰρ Σωκράτης ἐκεῖνος ἐκ φιλοσοφίας κατέβη . . . οὐδὲ ὁ πάγκαλος Ξενοφῶν . . . κατέβη . . . οὐδὲ Παρμενίδης κατέβη.* Similiter capite 36. exeunte adversarios aggressus se descendisse refutat: se acquiescere partim *ἄνω* partim *κάτω* esse.

Similia cum eodem fere lusu verborum atque in ep. dicit cap. 1.: *ἣ γὰρ ἐπήραμεν* (sc. imperator et orator ipse) *φιλοσοφίαν εἰς τὰ ἔργα ἐκ τῶν λόγων καταγαγόντες ἢ ἄμφω καταβεβλήκαμεν.* Item cap. 19.: *τοιούτῳ βασιλεῖ κοινωνῶν τοιαύτης ἀρχῆς οὐ κατήγαγον,*

---

[1]) Numeris utor editionis Harduini, ut mos est. Cuius editionis numeri paginarum in ed. Dindorfiana quoque additi sunt, quae orationem XXXIV. in ed. Harduini omissam addidit.

[2]) Orat. XVIII. 217ᵈ cf. notas Harduini.

[3]) ibid. p. 224ᵃ· ᵇ.

[4]) Themistii philos. oratio in eos, a quibus ob praefecturam susceptam fuerat vituperatus inventore Ang. Maio 1816. In ed. Dindorf. iteratur oratio XXXIV. cum Maii praefatione.

[5]) Cf. in primis orat. XXXIV. cap. 11.

ἀλλὰ ἐπῆρα; item cap. 27.: προστατήσας θατέρου τῶν τῆς γῆς ὀφθαλμῶν οὐκ ἐγενόμην, ὦ τᾶν, χθαμαλώτερος οὐδὲ ἀποβέβηκα φιλοσοφίαν.

Quibus cognitis omnibus concedendum est ep., de quo agimus, referendum esse ad Themistii orationem XXXIV. eaque oratione Themistium impetum, qui hoc ep. factus est, reppulisse, praesertim cum lemmata ipsa nomen Themistii cum illo ep. coniungant. Accedit quod ep. in philosophum non quolibet munere ornatum scriptum est, sed verbis ἄντυξ ἀργυρίη certum munus significatur. Carpentum inter insignia praefectorum et praetorio et urbi esse tabulae in notitia dignitatum adpictae docent.[1]) Themistius ipse carpenti signi urbi praefectorum saepe mentionem facit: orat. XXXI. p. 353[a] munus suum hac imagine significat: πάροχον ἑαυτῷ ποιεῖσθαι δεῖν ᾤετό με ὁ αὐτοκράτωρ, atque carpentum argenteum commemorat: ibid. p. 353[b] τῶν ἐπαργύρων ὀχημάτων. Itaque non est dubitandum, quin auctor ep. praefectum urbis in mente habuerit; qua re magis commovemur, ut ep. ad hanc orationem pertinere ducamus.

Atque aliud docet haec oratio: Si consideraverimus, quam constanter ac graviter Themistius se ab huius ep. impetu defendat, quanti aestimet honorem, quo ab imperatore affectus est, quotiens se vere philosophum esse contendat praeceptis philosophorum de re publica administranda obsecutum, quantopere id, quod ei ep. opprobrio datur, non solum hac oratione post munus depositum habita, sed etiam per totam vitam laudaverit, neminem fore putabimus, quin concedat Themistium nequaquam hoc ep. scripsisse, sed auctorem inter Themistii adversarios fuisse. Unde sequitur codices alterius generis, quod distinximus, falsum tradere.

Cum ex oratione XXXIV. habita, postquam munus a Theodosio acceptum iam deposuit, appareret Themistium de praefectura a Theodosio accepta verba facere, huius quoque ep. auctor nihil nisi praefecturam a Theodosio acceptam in animo habuit. Quocum pugnant codices, qui aut sub Valentiniano et Valente aut sub Iuliano Themistium praefectum fuisse notant. Si deliberaverimus Themistium aut statim aut non multo post ab impetu ep. se defensurum neque complures annos praetermissurum fuisse, quin, quod ei vitio tributum

[1]) Deest quidem tabula insignium praefecti urbis Cpolis, tamen insignia huius praefecti haud diversa fuisse veri est simile ab insignibus praefecti urbis Romae, in quibus exstat carpentum, cf. notit. dignitat. ed. a Pancirolo p. 117. commentarii et p. 18. Pancirolum, qui de carpento aurato cogitabat, Boecking repellit in ed. not. dig. adnot. cap. 3 A, ubi carpentum argenteum fuisse demonstrat. Qua de re et de nostro ep. Gothofredus uberius egit in commentario codicis Theodosiani lib. XIV. tit. 12.

erat, repelleret, et hoc ep. nihil improbari nisi praefecturam sub Theodosio administratam, haud dubie commovemur, ut omnia, quae lemmatis traduntur, falsa esse contendamus. Tamen alio quoque modo demonstrare licet lemmata errare.

Quod ut consequamur, primum exquiramus, quando Themistius praefectus urbis Cpolis fuerit.

Notant codices prioris generis: imperatoribus Valentiniano et Valente, quod nihil nisi aetatem significat, quoniam Valens solus Themistium praefectum u. Cpolis facere potuit, cum Valentinianus esset imperator Occidentis. Codices alterius generis: imperatore Juliano, quibus Suidas assentiri videtur.

Ex Themistii orationibus XVII., XVIII., XXXIV., XXXI. cognoscimus Themistium imperatore Theodosio P. V. fuisse. Quod Harduinus et omnes post eum viri docti, qui hac de re egerunt, complexi Themistium ab his tribus imperatoribus P. V. factum esse existimant: ab Juliano a. 362, a. Valente a 368, a Theodosio a. 384, nisi quopiam honore Themistium ab his imperatoribus affectum esse coniciunt.[1])

Wernsdorf se novum argumentum, quo coniecturam de praefectura sub Juliano a. 362. administrata fulciret, lucratum esse putavit ex septima Himerii oratione, in qua P. V. huius anni propter eximiam eloquentiam laudatur.[2]) Tillemont primus orationibus Themistii commotus Themistium semel sub Theodosio P. V. fuisse persuasum habuit[3]), quod Mai oratione XXXIV. inventa firmavit.[4])

---

[1]) Praeter Remum, Themistii orat. VI. 1605. Pope Blount, censura celebr. author. 1694, qui Themistium fuisse putant praefectum praetorio, Joannem Jensium, qui credit consulem, descript. hist. philol. 1716.,

ter fuisse Themistium P. V. coniciunt:
Harduinus, in indice chronol. ed. Themist. orat.
Petavius, not. ad orat. VIII.
Brucker histor. crit. phil.
Harles, biblioth. Gr. Fabricii.
Schoell, Gr. Litt. Gesch.
Baehr, Paulyi encycl. s. v. Themistius.
E. Baret in libro minimi pretiii: De Themistio sophista. Paris. a. 1853.

De praefectura ab Juliano accepta verba fecerunt:
Fabricius, biblioth. Gr.
Saxius, Onomasticon.

Quam diu error huius generis propagetur, eo intellegitur, quod Henricus Ibsen tragoedia, quae inscribitur ‚imperator et Galilaeus‘, Julianum facit eligentem Themistium P. V. Cpolis.

[2]) Himerii orationes ed. Wernsdorf a. 1790. orat. VII. cap. 15 seq. adnot. p. 585.

[3]) Tillemont, histoire des empereurs. L’empereur Theodose I. note 62.

[4]) Themist. or. XXXIV. adnot. Maii ad cap. XIV. (p. 458. ed. Dindorfii).

Quam ob rem orationes ipsas perlustremus. Initio orationis XVII., quam statim munere accepto habuit, declarat, etiamsi verbum *αὖθις* referatur ad aliam priorem praefecturam Themistii, Valentem et Valentinianum, fortasse Jovianum quoque sibi non tantum honorem tribuisse, cum hi sint *οἱ ἔναγχος βασιλεῖς*, quos commemorat. Qua in re verbum *ἔναγχος* angustissimis finibus circumcluditur. Quod verbis sequentibus profitetur praefecturam u. Cpolis summum esse omnium honorum, quibus affectus sit, eum antea non iam P. V. fuisse liquet.[1]) Orat. XXXIV. cap. 15. omnium honorum, quibus a nonnullis imperatoribus ornatus erat, summum enumerat praefecturam a Theodosio acceptam, unde apparet Themistium usque ad id tempus praefectura nondum functum esse. In oratione XXXI. sub eodem Theodosio habita inter varios honores sibi oblatos unam praefecturam a Theodosio acceptam commemorat, cf. p. 353[a] *ὁπηνίκα πάροχον ἑαυτῷ ποιεῖσθαι δεῖν ᾤετό με ὁ αὐτοκράτωρ.*

Quibus rebus cognitis Themistium semel tantum munere P. V. Cpolis functum esse omniaque, quae tradunt lemmata, reicienda esse patet. In hanc unam praefecturam ep., de quo agimus, scriptum esse potest, quod oratione hoc ep. repellente affirmatur. Lemmatum errorem hoc modo enatum esse puto: Themistius quamquam sibi praefecturam aliquoties a nonnullis ante Theodosium imperatoribus oblatam esse narrat, tamen semel tantum se accepisse dicit orat. XXXIV. cap. 13. et 14. Quod Suidas quoque expressit, cum diceret: Themistius *προεβλήθη*, non factus est P. V. Fortasse posteriores praefecturam oblatam esse sciebant, sed recusatam esse a Themistio nesciebant, id quod ii, qui lemmata adscripserunt, permiscuerunt.[2])

Iamiam quaerentibus nobis, quo tempore hoc ep. scriptum sit, perscrutandum est, quo imperii Theodosii tempore Themistius urbi Cpoli praefuerit, quod ut intellegamus, nobis orationes Themistii subsidio veniunt:

Or. XVI. habita est mense Januario anni p. Ch. n. 383., postquam Saturninus consulatum iniit quinto imperii Theodosii anno. Or. XVII., postquam ipse praefecturam urbis Cpolis accepit, ut diximus. Orat. XVIII. sexto imperatoris Theodosii anno habita est, orat. XXXIV. post praefecturam iam depositam.

Cum Theodosius ante diem XIV. Kal. Febr. a. 379. imperator factus sit, sextus eius imperii annus est inde ab a. d. XIV. Kal. Febr. anni 384. usque ad a. d. XV. Kal. Febr. anni 385., quo anno oratio XVIII. habita est. Qua in oratione cum praefecturae men-

---

[1]) Or. XVII. 214[c]: *καὶ παρατρέχει* (sc. Theodosius) *τοὺς πρότερον αὐτοκράτορας ἀντὶ δυοῖν ἀνδριάντων κ. τ. λ.*

[2]) Tamen ad Maii audaciam non progrediendum est, qui l. l. p. 459. adnot. conicit vidisse hos librarios fortasse litteras aliquas Juliani aut etiam Valentis, quae Themistio eam dignitatem offerebant.

tionem faciat Themistius in medio relinquens, utrum munus administret an deposuerit, terminum, ante quem haec oratio habita est, lucramur a. d. XV. Kal. Febr. anni 385.

Harduinus primus, quo anno fuerit P. V. Themistius, constituere conatus his verbis nixus est: orat. XVIII. p. 224ᵃ *οὐκ ἄρα ἐγὼ σπουδαρχιῶν ὑπέσχον τὼ χεῖρε τῇ πολιαρχίᾳ*, unde efficiendum esse putavit Themistium tum, cum hanc orationem habuit, in munere fuisse: itaque eum anno 384. hoc honore ornatum fuisse.[1]) Alteram causam addit hanc: vacuus alter annus non occurrit, quia alterius alicuius praefecti urbi nomine careat praeter quattuor postremos huius anni menses (i. e. anni 384.) et maximam partem insequentis. Themistium igitur cum in orationibus neque de Honorio nato neque de Persarum legatione diceret, hanc orationem habuisse mense Septembri ineunte circiter eodemque tempore praefecturam iniisse existimat. Quod omnibus comprobatum Tillemont solus suspectum habuit, tamen codice Theodosiano repugnante hanc orationem XVIII. in priorem anni 384. partem removere non ausus est. Sed si verba Themistii accuratius interpretamur, id unum efficere possumus Themistium sexto imperii Theodosii anno praefecturam urbis iam accepisse, sed non tum tenuisse. Alteram quoque causam Harduini non recto talo stare ostendere possumus:

Quod horum temporum indicem praefectorum urbis Cpolis non servatum tenemus, valde lugemus. Subsidium praebent codices Theodosianus et Justinianus, quorum ex inscriptionibus et subscriptionibus legum Gothofredus indiculum praefectorum urbis Cpolis composuit, quo Harduinus nixus sententiam, quam commemoravimus, professus est.[2]) Sed quanta fide digni sunt isti indices, quam saepe notae P. P. (= praefectus praetorio) et P. V. (= praefectus urbi) commutatae sunt, quam corrupte omnino inscriptiones et subscriptiones traditae sunt![3]) Quae si consideraveris, intelleges, quid valeat index magistratuum ex his fontibus haustus. Vel hinc elucet, quam non diligenter Harduinus alterum annum non vacare contendat: immo vero eum falso contendere nos demonstrare posse speramus.

In eis orationibus, in quibus praefecturam suam commemorat, Themistius seditionis Maximi obiter mentionem facit. Qua commemorata terminum consequimur, post quem Themistius P. V. fuit: ver anni 383. quo tempore ista seditio coepta est. Itaque nobis eruentibus, quibus annis Themistius praefuerit Cpoli, anni soli 383. et 384. in censum veniunt; quorum annorum praefectos u. Cpolis enucleare nunc conemur.

---

[1]) Harduinus adn. exordii or. XVIII. p. 489. et ind. chronol.
[2]) cf. cod. Theod. ed. Gothofred. vol. VI. part. II.
[3]) cf. Krüger comment. Mommsen. p. 79. sqq.

Anno 383. sola cod. Theod. VI. tit. 5. l. 1. edita est P. V. Clearcho, qui anno praecedente aliquoties P. V. Cpolis appellatur. Quamquam codices plerique P. P. tradunt, tamen Gothofredus in commentario defendit iure ac merito P. V. Quae constitutio data est a. d. IV. Kal. aut Jun. aut Jan.[1])

Anno 384. quoque una constitutio missa est ad eundem P. V. Cpolis Clearchum cod. Theod. VI, 2, 9. cuius argumentum P. V. scriptum esse docet. Subscriptio non integra servatur, cum die omissa tantum mensis Sept. tradatur. Data est igitur haec lex inter <a. d. XIX. Kal.> Sept. et <id.> Sept. Inter utramque legem commemoratam est spatium mensium minimum septem et dimidii aut si a. d. IV. Kal. Jun. tenemus, quattuordecim et dimidii.

Quibus legibus nixi Harduinus et omnes, qui consentiebant, Themistium post Clearchum praefecturam accepisse coniecerunt.[2]) Concedendum est spatio, quod est inter a. d. IV. Jun. vel. Jan. anni 383. et id. Sept. anni 384. Clearchum perpetuo P. V. Cpolis fuisse posse. Tamen testimoniis non caremus, quibus apparet vicissitudines praefectorum urbi non raras fuisse et eosdem homines eodem munere identidem per breve tempus continuum functos esse.[3])

Unde perspectum habemus fieri potuisse, ut praefectura Clearchi intermitteretur.

Colligamus quae de Clearcho cognoscere possimus: A. 364. invenimus Clearchum quendam vicarium Asiae in cod. Theod. I, 28, 2. et a. 365. in cod. Theod. V, 1. 11.[4]) Eunapius nominat Clearchum Thesprotium *ἐπιστάτην τῆς Ἀσίας ἁπάσης*, qui a Valente proconsul Asiae factus est.[5]) Cum proxime inferior sit vicarius Asiae proconsule Asiae, *ἐπιστάτης τῆς Ἀσίας ἁπάσης* nihil significat nisi vicarium Asiae.

---

[1]) Jun. esse scribendum affirmat inscriptio, quae nomen Gratiani indicat, qui mense Augusto necatus est. Sed has inscriptiones corruptiores esse notum est, quam ut quidquam ex eis evinci possit.

[2]) In codice Justin. alium quendam P. V. anni 384. invenimus: l. I, 48, 2 ad Principium P. V. Datum id. Febr. Ricomere et Clearcho conss. nomine loci omisso. Principium magistratum fuisse Occidentis ex cod. Theod. XIII, 3, 10 multisque aliis legibus videmus. Si re vera cod. Just. I, 48, 2 P.V. appellatur, P. V. Romae, non Cpolis fuit.

[3]) Evolve e. g. tabulam publice scriptam praefectorum u. Romae, quam servat chronographus anni 354 qui appellatur, cf. Th. Mommsen, Ueber d. Chronographen von 354. Abhandl. d. sächs. Ges. d. W. 1851 p. 547. Qua de re vide seriem p. 52. not. 3. commemoratam P. P. V. auctore Corsino § III. de praefecti urbis duratione p. XX.

[4]) Fortasse etiam cod. Theod. VIII, 1, 9 quae in cod. Theod. nullo titulo; cf. Haenelii adnot. huius constit.

[5]) Eunapius in vita Maximi p. 479. ed. Boissonadii.

A. 370. Clearchus P.V. Cpolis est teste cod. Theod. XIV, 13, 1.[1])

A. 372. Clearchum praefectum u. Cpolis esse subscriptionibus legum cod. Theod. VI, 40, 20. XIV, 9, 2. XIV, 17, 7. intellegimus.[2]) Hieronymus eiusdem aetatis Clearchum P. V. Cpolis aquae ductu aedificato bene de Cpoli meritum esse notat.[3]) Fortasse eundem Socrates propter idem meritum laudat hist. eccl. IV, 1.

Annis 382, 383, 384. ad Clearchum praeter leges, quas enumeravimus, hae sunt missae:

anno 382: cod. Theod. IV, 17, 2. XV, 2, 3. XII, 1, 93. In quibus, quamquam plerumque P. P. scriptum est, tamen semper Gothofredus demonstravit P. V. corrigendum esse, quod nonnullae, ut XV, 2, 3 et quas supra commemoravimus, ad neminem nisi ad praefectum u. Cpolis missae sunt.[4])

Anni 386. invenimus legem cod. Just. XI, 61, 8., quae habet inscriptionem: Idem (scil. Gratianus, Valent. Theod. Arcad.[5]) A. A. A. A.) Clearcho P. P. et subscriptionem: Dat. prid. Mai Cpoli Honorio N. P. et Evodio conss. Quod Gothofredus[6]) hanc quoque legem ad annum 383. retulit, repellunt et nomina consulum et locus, quo inserta est lex: l. 6: 384. l. 7: 386. l. 9: 398. Argumentum docet hanc legem ad neminem missam esse nisi ad comitem aut P. P. Orientis quendam, quorum in ditione provinciae Osdroëne et Mesopotamia hac in lege commemoratae erant.[7]) Itaque P. P., quod traditur in codicibus, tenendum est. Quominus pro Clearcho hoc

---

[1]) Quamquam subscriptione: Valentiniano et Valente A. A. conss. indicatur annus 365., tamen neque anno 365. neque anno 368., quibus annis hi imperatores iterum consules erant, Valens Hierapoli erat, unde haec lex data est, sed anni 370. mensibus Sept. et Oct., ut docet cod. Theod. VII, 13, 6. Itaque subscriptio leni mutatione corrigenda est: Valentiniano et Valente <III> conss. In eundum annum cod. Theod. XVI, 2, 19. referenda est, quae eadem Hierapoli dabatur. Habet eandem subscriptionem, quam cod. Theod. XIV, 13, 1., sed accedit, quod lex, quae antecedit, inter annos 367. et 370. data est.

[2]) Quas partes unius constitutionis esse Gothofredus credidit.

[3]) Hieronymi chronic. ap. Eusebii ed. Schoene II. p. 198.

[4]) Gothofredus Chronolog. p. CXV. hoc loco inserit cod. Just. XI, 1. 5. sine die et conss., quamquam legit inscriptionem: Imp. Constans A. ad Clearchum P. V., cum pro Constante nomen Valentis vel Theodosii supponat. Sed nomen Constantis defendit locus, quo exstat haec lex: cod. Just. XII, 1, lex 4. aa. 346—349, lex 6. aa. 357—360, lex 7. a. 361, lex 8. a. 362 datae sunt. Quibus ex causis vetustiorem fuisse Clearchum putare debemus, cum non sit veri simile eundem triginta fere annis intermissis a. 384. consulem fuisse.

[5]) Cum sciamus librarios stupide et temerarie semper idem repetevisse, nominibus imperatorum in inscriptionibus et subscriptionibus notatorum uti non possumus ad aetatem determinandam. Itaque non miramur, quod Gratianus anno 383. iam mortuus ad hanc legem a. 386. adscriptus est.

[6]) Gothofredi Chronol. p. CXV.

[7]) cf. notitiam dignit.

loco Nedearcho scribatur, ut nonnulli suadent, Libanii epistula 1533. ed. Wolfii impediri videtur, in qua Libanius apud Clearchum de apparitore quodam provinciae Osdroënes queritur. Quem Clearchum aut vicarium aut P. P. Orientis eundem esse efficere possumus, cui lex, dequa verba facimus, missa est.

A. 396. Clearchus P. V. Cpolis nominatur cod. Theod. XVI, 5, 30. Inter annos 396—401. P. P. Illyrici cod. Just. XV, 58, 9:

a. 399. P. V. Cpolis cod. Theod. XIII, 1, 16.
a. 401. P. V. Cpolis ibidem VI, 26, 12.
a. 402. P. V. ibidem XIV, 17, 14.

a. 399 cod. Theod. VI, 12, 1. Clearchus appellatur vir spectabilis, qui non idem esse potest ac Clearchus, qui inter annos 394—402. P. V. et P. P. nominatur, cum his muneribus functus in viris illustribus numerandus sit. His igitur annis duo Clearchi sunt discernendi. Inde ab anno 364. Clearchum quendam videmus ascendentem multorum graduum scalas honorum et annis 382—384. summum gradum, praefecturam urbis Cpolis, anno 386. praefecturam praetorio assecutum esse. Eum Clearchum, quem leges in diversis honoribus fuisse notant, unum et eundem esse veri simillimum est, quod omnes, qui hac de re verba fecerunt, probaverunt. Utrum Clearchus, qui anno 396. vir illustris commemoratur, idem sit, nostra non interest.[1])

Sed alter consulum anni 384. habet nomen Clearchi. His temporibus consules factos esse viros constat, qui summis magistratibus fungebantur, quod persaepe imperatores aut Augustos haberent collegas; plerumque viros bene de imperio meritos consulatum accepisse praemium notum est, ut ex. c. Saturninus a. 383. propter victoriam a Gothis anno praecedente reportatam hoc honore ornatus est. Unde sequitur Clearchum consulem anni 384. inter summos viros fuisse, inter quos nullum alium reperimus huius nominis nisi praefectum u. Cpolis anni 382. et sqq. Cum hac aetate consules per breve tempus munere suo fungerentur, plerumque per duos menses[2]) et qui annum coeperunt, anno nomina darent, Clearchum, qui anni 383. mense Maio vel Decembri P. V. Cpolis fuerat, anno 384. ineunte consulem fuisse et postea consulatu deposito iterum munus suum accepisse apparet.

Quoniam supra ostendimus fieri potuisse, ut praefectura Clearchi intermitteretur, nunc pro certo statuere possumus praefecturam re vera intermissam esse consulatu. Itaque non recte sentire eos consentaneum est, qui nullo tempore nisi post Clearchi praefecturam Themistium munus accepisse

---

[1]) Sievers, Das Leben des Libanius p. 258. duos Clearchos distinguit, vetustiorem et recentiorem, qui a. 396. ascendit.

[2]) cf. Walter, Gesch. des römischen Rechtes p. 282.

putant. Sed sunt alia quoque, quae dubitationem iniciant, quae etiam ei, qui mense Sept. huius anni Themistium munus iniisse coniciunt, amovere non potuerunt. Themistius enim in orationibus, quas post praefecturam acceptam habuit, neque Honorium natum esse — natus est ante diem V. id. Sept. huius anni — commemorat, sed de uno filio Theodosii verba facit, neque legatos a Persis missos esse narrat, qui eodem tempore Cpolim advenerant.[1]) Quae satis habent offensionis. Nam ex silentio Themistii, ut est laudator imperatorum, licet efficere, quod apud alios scriptores non licet; Themistius persaepe habebat, quod Persarum legationis mentionem faceret, qua hostes sempiterni pacem petebant. Quid? Themistium nonne piget laudare Theodosium, quod hostes non vi armorum subiecerit, sed humanitate et comitate amicos et socios fecerit? An censes oratorem quidquam consulto omisisse, quo imperatorem maioribus laudibus efferre posset? Sed videmus eum semper de *Σκύθαις*, qui vocantur Gothi, solis anno 382. pacatis verba facere, at nihil de Persis ab antiquissimis temporibus imperio Romano periculosissimis, cf. Them. or. XVIII. 219[b], XXXIV. cap. 20, cap. 24, cap. 25. Alius huius aetatis orator, Pacatus Drepanius, qui post Persarum legationem Cpolim missam panegyricum habebat, hoc commodum non praetermisit, quamquam quinque iam anni praeterierant.[2]) Miramur quoque, quod Themistius de uno filio Theodosii loquitur cf. or. XVIII. 224[b, c] usque ad finem, XIX. p. 231[a].

Cum intellexerimus nos nulla re impediri, quominus Themistium antea praefectum fuisse coniciamus, nunc his rebus cognitis cogimur concedere Themistium iam antea praefecturam iniisse. Terminus, ante quem hoc factum est, ad mensem Sept. ineuntem anni 384. dilatus est.

Terminum, post quem Themistius praefectus factus est, nunc certioribus finibus circumscribere conemur. Maximus vere anni 383. a copiis suis in Brittania imperator creatus cum legionibus Brittanicis freto Brittanico traiecto, postquam legiones Galliae septentrionalis sibi conciliavit, prope Lutetiam Gratiano obviam ivit. Manibus nondum consertis Gratianus a suis relictus fugit et in fuga Lugduni a. d. VIII. Kal. Sept. necatus est. Maximus tota Gallia subiecta legatos ad Theodosium misit, qui aut postularent a Theodosio, ut Maximum imperatorem agnosceret aut, si ille quominus id faceret, recusaret, bellum indicerent.[3]) Theodosius prudentia commotus, quod nondum satis validum exercitum habebat, quo

---

[1]) Tillemont l.l. l'empereur Theod. I. art. XV. et art. XXI. not. XVIII.
[2]) Panegyr. Latin. ed. Baehrens XII. (Pacat. Drepan.) cap. 22.
[3]) Has res uberius tractaverunt Tillemont l. l. l'empereur Theod. I. art. XIV. et Henricus Richter, Das weströmische Reich, besonders unter den Kaisern Gratian, Valentinian II. und Maximus p. 375—388. et p. 584. sqq.

Maximo se obiceret, et ut Valentiniano admodum iuveni partem imperii ei relictam ab Maximi impetu servaret, legatis receptis Maximum interim imperatorem probavit. Theodosium autem re vera de Maximi seditione certiorem factum statim id studuisse, ut contra Maximum bellum pararet et, quamquam usurpatorem agnoverat, tamen in bello parando perseverasse intellegimus ex Socratis hist. eccl. V, 12. et Zosimi IV. cap. 37; testatur Themistius quoque or. XVIII. p. 220[d] sqq. verbis *οἷα που καὶ ἡ πρῴην ἐκστρατεία*, quae omnes recte ad expeditionem in Maximum paratam referunt.[1]) Idem bellum in Maximum agitatum in animo habet Themistius, cum dicat or. XVIII. 224[c]: *ἡνίκα ἐλαύνειν ὥρμητο ἐπὶ τὴν ἑσπέραν.* Eodem tempore Theodosium se diutius a Cpoli afuturum esse putasse eumque re maioris momenti commotum esse, ut proficisceretur ad occidentem, apparet ex eo, quod filium suum coram senatu populoque magna caerimonia Themistio tuendum tradidit.[2]) Harduinus sentit imperatoris ad occidentem expeditionem significare iter Heracleam et Beroeam fortasse propter tumultus Gothunorum[3]) factum. Sed non audivimus hoc anno illam gentem tumultus fecisse, etiam annus, qui sequebatur, tranquillissimus erat, ut Theodosius per totum annum Cpoli maneret, quod leges hoc anno datae docent.[4]) Itaque res non tam graves erant, quibus commotus necesse esse putaret filio suo, dum ipse abesset, tutorem instituere. Repellitur Harduini coniectura eo quoque, quod Theodosius per breve tempus in his oppidis fuerat; fuisse eum ibidem inter a. d. IV. id. Jun. et prid. Kal. Sept. testantur leges istinc missae.[5]) Quibus deliberatis persuasum habemus re periculosiore Themistium ad occidentem ut proficisceretur, impulsum esse. Sed nullam aliam rem istius temporis invenimus ac Maximi seditionem, quae Theodosio periculosior videbatur, quam ut statim exercitu satis valido nondum collecto usurpatorem castigaret.

---

[1]) Sic enim scribendum esse puto pro: *οἷα που καὶ ἡ πρώτη ἦν ἐκστρατεία τε καὶ ὁρμὴ ἐπὶ τὸν Ῥῆνον.* Theodosius nunquam antea expeditionem ad Rhenum fecerat, fuit quidem, priusquam imperator factus est, interdum in Germania. Sed cum verbis insequentibus bellum in Maximum paratum aperte significetur, quod Theodosius quattuor annis post hanc orationem habitam confecit, Themistius hoc loco nondum dicere potest *ἡ πρώτη ἦν ἐκστρατεία.* Quae expeditio brevi ante orationem habitam parata, sed Maximo agnito finita vel intermissa erat. Itaque leni mutatione scribendum est *ἡ πρῴην ἐκστρατεία* pro *ἡ πρώτη ἦν ἐκστρατεία.* Verbum *ἦν* facile desideratur.

[2]) Themistio iam antea, ut Arcadium edoceret, mandatum esse videmus ex or. XVI. 204[b] et 213[a] anni 383. mense Jan. habita.

[3]) cf. Harduini notam ad. h. l. p. 489. Haec gens quae sit quoque modo a. 386. victa sit, narrat Tillemont l. l. Theod. I. art. XXVIII.

[4]) cf. Tillemont l. l. art. XXV.

[5]) Verona in cod. Theod. XII, 1, 107. tradita a Gothofredo probabiliter in Beroea mutata est.

Arcadii tutelam sibi propter bellum in Maximum paratum mandatam esse ultimum commemorat in orationibus de praefectura habitis. Inter tutelam acceptam, quam acceptam esse autumno anni 383. nunc perspectum habemus, et initium mensis Sept. anni 384. Themistius P. V. Cpolis fuit.

Quam tutelam non per longum tempus gestam esse a Themistio inde apparet, quod finita est tum, cum causa, qua erat instituta, amota erat. Quod periculo interim propulsato Theodosius Cpoli manebat, tutore non diutius opus erat. Oratio XVIII. sexto Theodosii anno habita, cum praefectus esset aut fuisset Themistius, prorsus in initium anni 384. referenda est, cum habita esset, dum Themistius tutor est, ut plane docet finis orationis. Unde sequitur Themistium praefectum quoque fuisse anno 384. ineunte aut anno 383. exeunte. Quod convenit cum eis, quae de Clearcho antecessore cognovimus, quem fortasse mense Dec. anni 383. praefectum fuisse et Kal. Jan. anni 334. consulem factum esse vidimus. Itaque unicuique concedendum est veri esse simillimum Themistium iisdem Kal. Jan. anni 384. praefecturam iniisse eoque munere functum esse, dum Clearchus consul fuit.

Quod si concedimus, orationem XVII., qua imperatori gratia refertur pro honore illato, mense Jan. habitam esse nobis efficiendum est, non multo postea orationem XVIII.

Themistium per breve tempus P. V. Cpolis fuisse ostendit orat. XXXIV. cap. 11. sqq.; alium quoque P. V. invenimus mense Aug. exeunte vel mense Sept. ineunte in cod. Theod. VI, 2, 9. Ante hoc tempus or. XXXIV. habitam esse iam demonstravimus. Fortasse Clearchus, postquam per duos menses, ut erat mos, consul fuit, praefecturam recuperavit, qua inter hoc tempus Themistius functus erat.

Ep., de quo agimus, scriptum esse, dum Themistius est P. V. Cpolis, et modi imperativi et vocula v. 4. *νῦν* testantur. Mensis Aug. medius ultimus est terminus, quo Themistius se ab impetu huius ep. defendit. Itaque hoc ep. priore parte anni 384., fortasse mensibus duobus prioribus huius anni scriptum est.

Restat, ut exquiramus, quis sit auctor huius ep. Postquam supra demonstravimus Themistium ipsum hoc ep. scribere non potuisse, non difficile est diiudicare, cum P. et Pl. consentientes Palladae tribuant, quam ob rem inter genuina Palladae epp. enumeravimus p. 8. Accedit, quod hoc ep. exstat in longa serie epp. Palladae neque inter alia variorun poetarum epp. dispersum est. Sed etiam argumentum et modus dicendi sapit spinosum ingenium Palladae cf. lusum verborum *ἄντυγος οὐρανίης* et *ἄντυγος ἀργυρίης* et verba oxymora *ἀνάβηθι κάτω — ἄνω κατέβης*.

Itaque non est dubium, quin hoc ep. Palladae vindicandum sit.

Optime igitur nobis contigisse putamus, ut spatium paucorum mensium conterminemus, quo ep. scriptum sit a poeta, cuius de aetate aliunde nihil certi cognoscere possumus.

Pars altera.

De vita poetae.[1])

Joannes Tzetzes (proleg. schol. ad Lycophr.) solus praeter anthologias epp. Palladae mentionem facit. Qui postquam omnia genera poeseos et poetas, qui ea praecipue exercebant, enumeravit, hoc modo pergit[2]): *Ἐπιγραμματογράφοι δὲ ποιηταί· Σιμωνίδης ὁ παλαιὸς, οὗ Ἡρόδοτος μέμνηται, Ἀλκαῖος ὁ νέος, ὃς ἦν ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ τοῦ Ῥωμαίου καὶ Τίτου, Ἀθήναιος, Πρόκλος, Παλλαδᾶς, Ἀγαθίας καὶ ἕτεροι μύριοι.* Quo consilio Tzetzes hos poetas elegerit, intellegere non possumus, cum et maximae et minimae auctoritatis poetas enumeret, sed alios poetas optimos omittat.

Ex temporum ratione Tzetzem hos poetas non enumerare inde apparet, quod in seriebus alius poeseos generis ordo chronologicus persaepe perturbatus est. Ut pauca, at notabilia exempla proferam: Tzetzes inter lyricos poetas Bacchylidem, Pindarum, Simonidem ante Alcmana, Alcaeum, Sapphonem ponit, inter elegiacos Mimnermum post Callimachum. Accedit quod codices ipsi ordinem poetarum non eundem servant. Ex verbis in primis: *Ἀλκαῖος ὁ νέος, ὃς ἦν κ. τ. λ.* cognoscimus, quam falso et indiligenter Tzetzes has series composuerit.[3]) Quibus ex causis de Palladae aetate ex Tzetzae verbis nihil possumus elicere. Nihilo plus valet id quod Phavorinus in lexico dicit, quem Tzetzae libros exscripsisse constat.

Itaque epp. Palladae soli restant fontes, unde aliquid de vita Palladae cognoscere liceat.

---

[1]) Tractaverunt hanc rem viri docti praeter brevissimas notas librorum, quibus historia litterarum Graecarum describitur, ex quibus Christii Griech. Litt. Gesch.[3] p. 795. uberrime, nusquam nisi in indicibus scriptorum aut in encyclopaediis. Ex his enumero:

Voss, de veter. poet. temporibus l. II. — Saxius, Onomastic. praef. p. XXX. — Fabricius-Harles, biblioth. Gr. IV. p. 485. — Jacobs, Erschii et Gruberi encycl. — Baehr, Paulyi encycl. — Clinton, fast. Rom. epit. p. 361. — Mueller, schol. Tzetzae ad Lycoph. ind. script. III. p. 155. — Reiske, notit. poetarum. — Jacobs, catalog. poetarum A. Gr. vol. XIII.

[2]) Tzetzae schol. ad Lycoph. ed. Mueller I. p. 258. Quae scholia quin ab Joanne, non ab Isaacio Tzetza scripta sint, nemo iam dubitat.

[3]) Quod iam J. G. Schneider ostendit, pericul. critic. in anth. Gr. p. 98. sqq.

Fere omnes, qui Palladae aetatem terminare conati sunt, ab ep. IX, 400. profecti sunt, quod genuinum esse p. 11. demonstravimus. Scriptum est hoc ep. in Hypatiam philosopham Theonis filiam, quae Alexandriae studiis praecipue astronomicis florebat, quod ep. quoque attingit. Eam necatam esse a vulgo christiano anno p. C. n. 415. Ricardus Hoche nuper pro certo demonstravit.[1] Scriptum est procul dubio hoc ep., dum Hypatia summa gloria floret, ante igitur a. 415., quod sane congruit cum aetate, quam in priore huius capitis parte enucleavimus. Quod Hypatia, ut erat pagana, a Pallada tantis laudibus effertur, cum eo convenit, quod Palladas nullam unquam occasionem sui in Christianos odii profitendi dimittit, praesertim cum ipse Alexandriae moratus Hypatiam, ut erat eiusdem fidei et eiusdem aetatis, propius contingeret. Etiamsi non discipulus Hypatiae fuit, quod erat aetate nimis provectus et magis Epicureorum sententias quam Academicorum et Pythagoreorum recentiorum, inter quos est Hypatia, trivit, tamen haud dubie ab ea stetit eamque maxima veneratione coluit.

Ex ep. IX, 528. quoque eiusque lemmate *εἰς τὸν οἶκον Μαρίνης* elicere possumus, quibus temporibus Palladas floruerit. Scriptum est hoc ep. in simulacra aenea deorum paganorum, quae ea re, quod ad Christianorum cultum translata erant, evitaverant, ne conflata perirent. Quas statuas in Marinae domo collocatas fuisse affirmatur scholio. Hoc lemma, quod notavimus, in primis nomen domus, cum ex ipso ep. effici non possit, ex vetustiore fonte manasse apparet, qua de re infra uberius nobis agendum erit. Si crederes librarium suo arbitratu nomen finxisse, nimis suspiciosus esses, cum huius generis statuae his saeculis persaepe hoc modo mutarentur multaque christianorum templa tunc his simulacris ornarentur. Qua de causa igitur scholiastes *οἶκον Μαρίνης* commemoraret nisi nixus nomine tradito? Nomen Marinae apud antiquos rarissime reperitur. Bis inveni: Chronolog. Alexandr.[2] dat hoc nomen uxori imperatoris Valentis prioris, matri Gratiani, quamquam ceteris locis semper Valeria Severa nominatur.[3] Altera Marina est filia minima natu imperatoris Arcadii et Aeliae Eudociae a. 403. nata.[4] De domo Marinae Chron. paschale (ed. Niebuhr p. 566.) narrat: *Μαρῖνα δὲ τὸν οἶκον ἔκτισε τῶν Μαρίνης*, quibus verbis filia Arcadii signi-

[1]) Libros, quibus de Hypatia agitur, recensuit J. Chr. Wolf in Mulierum Graec. quae oratione prosa usae sunt, frgt., recentiorum Ricardus Hoche, Philol. 15. p. 425.

[2]) corp. Bonnens. ed. Niebuhr p. 559. et p. 560.

[3]) Ducangius, famil. Byzant. p. 58. Tillemont l. l. l'empereur Valens I.

[4]) Nuper hac de re Seeck, Pauly-Wissowa. s. v. Arcadius col. 1139. egit.

ficatur.[1]) Nostra id unum interest eruere, quo tempore haec domus aedificata sit. Quod ut perspiciamus, aetas Marinae concedit, quae a. 403. nata et a. 449. mortua est.[2]) Ante annum 420. non est veri simile filiam imperatoris tunc duodevicesimum annum agentem domum sibi aedificasse. Praeterea persuasum habeo hoc ep. non multo post domum peraedificatam scriptum esse, nam deorum simulacra mutata in statuas Christianas, quod in aedificio quodam collocata erant, tam diu commemorare operae pretium erat, quoad hoc aedificium novum erat. Etiamsi hanc domum Marinae aedificatam ad recentius tempus, ad annum 440. circiter referimus, Palladas auctor huius ep. esse potest, cum ad summam senectutem pervenerit.

Haec sunt aetatis Palladae certa testimonia, quae hic complecti mihi liceat:

a. ineunte 384. scriptum est ep. XI. 292,
ante annum 415. ep. IX. 400,
post annum 420. ep. IX. 528.

Ex ep. X. 97. cognoscimus Palladam minimum septuaginta duos annos fuisse natum. Spatio, quod interest inter terminos 384. et 420. Palladam pleraque epp. scripsisse apparet. Praeterea si deliberaverimus fieri non posse, quin Palladas iuvenis viginti minimum annorum fuerit, cum in Themistium invehi ausus est ita, ut hic admodum senex opus esse putaret repellere invectionem, concedendum nobis est Palladam anno 384. maiorem, non minorem fuisse viginti annis. Quibus ex causis Palladam inter annos circiter 350. et 365. natum esse coniciendum est, unde sequitur eum inter annos fere 420. et 440. diem supremum obiisse. Floruit igitur quarto p. C. n. saeculo exeunte quinto ineunte.

Nos quidem ex Palladae epp. aetatem exquisivimus, at multi vice versa ab aetate Palladae profecti eius epp. ad homines et res aequales referre conati sunt. Quamvis res sit laudabilis, tamen ab initio monendum est nos de poeta nostro assequi nihil posse nisi meras coniecturas.

Epp. VII. 681—688. Gessius quidam illuditur. Quis est ille Gessius? Iamiam perquiramus epp. ipsa: omnia in eundem Gessium invehi apparet, sed Gessium ep. XVI. 317. irrisum alium esse iam supra p. 17. monstravimus. Praeterea docent epp. illum Gessium summos magistratus appetivisse, sed priusquam eos consecutus esset, esse mortuum; ep. 688. v. 2. notat honorem, cui studebat: *τῶν μεγάλων ὑπάτων θῶκον;* est igitur consulatus. Vi eum necatum esse elucere videtur ex ep. 682. v. 2. *αὐτὸς τὴν Μοῖραν*

---

[1]) Hanc domum per multum tempus postea servatam esse Ducangius testimoniis probavit Constant. Christian. l. II. p. 143.

[2]) Chronic. pasch. p. 586.

προὔλαβεν, 684. v. 3. *Μοιράων τροχαλώτερος*, similibus epp. sqq., unde illum in se ipsum manus intulisse multi effecerunt. Tamen si ipse se interfecisset, acumen epp. hebetaretur neque ep. 685. declararetur. Sed eum non voluntaria morte occubuisse veri similius esse mihi videtur, praesertim cum poetam verbis 685, 4. *σύμβολα τῆς ἀρχῆς* significasse arbitrer, quo modo necatus sit Gessius. Securim enim, quae est inter consulum insignia, supremum honorem accepit tum, cum securi percussus est[1]; *ἐκκόπτω* ep. 681. v. 4. idem significare videtur. Etiam verbis ep. 686, 4. *καινοτάφῳ σχήματι* supplicii in mente habuisse poetam censeo: nam cum inhonestum exitum haberet, usitatos honores sepulcrales non accepit. Eum in terra externa interfectum esse testantur fortasse epp. 681, 1., 687, 2.; causam de qua necatus sit, ipse indicat ep. 686, 8. *τὸ στρῆνος;* eum multa oracula, in primis Iovem Ammonem consuluisse, num ea, quae studeret, assequeretur, intellegimus ex ep. 687., unde efficere possumus eum fortasse paganum et Aegyptium fuisse, ut erat Palladas. Claudus fuit testibus epp. 681, 2. 686, 2. Lemmate ep. 688. *ἄρχων ἐν μέρει τινὶ Ἀλεξανδρείας* appellatur, qua re firmatur Gessium fuisse Aegyptium. Nomen ipsum non fictum, sed re vera homini cuidam datum esse videtur, quod nisi ita esset, lusus verborum ep. 683, 8. *Γέσσιος-χεσεῖν* acumen amitteret.

Nomen Gessii non saepe invenitur.[2] Plerique eundem esse atque *ἰατροσοφιστήν* illum putabant, cuius Suidas s. v. Gessius mentionem facit.[3] Quod iure refutatum est, nam illum, qui imperante Zenone (aa. 474—491.) floruit, mortuum Palladas illudere nondum potuit. Reiske et Sievers[4] ad Gessium quendam Aegyptium a Libanio epistulis 1149, 962, 810. commemoratum hoc ep. referunt. Idem opinor Gessius epist. 1032. discipulus Libanii appellatur. Tamen haec coniectura certis argumentis affirmari non potest.

Ep. XI, 281., quod utrum Palladae an Lucillii sit, haesitari p. 13. dixi, in Magnum quendam iatrosophistam scriptum est. Quis sit ille Magnus, viri docti enucleare conati omnes nominibus Magnos sive Palladae sive Lucillii aequales protulerunt, ad quos hoc ep. referendum esset. Permulti sunt medici huius nominis, e quibus quattuor Haeser enumeravit.[5] Quorum notissimus, qui solus ad Palladam pertinet, est ille Antiochensis discipulus Zenonis Cyprii, quem quarto p. Ch. n. saeculo exeunte Alexandriae medicinam artem docuisse Eunapius narrat.[6] Est ille procul dubio idem, quem

---

[1]) Fortasse 685. v. 5. rectius scribendum est *μετὰ μοίρας* pro *μετὰ μοῖραν*.

[2]) Reiske, not. poet. III. p. 253.

[3]) cf. etiam Zachar. Scholiast. ed. Boissonadii not. 8, 156.

[4]) Sievers, Das Leben des Libanius. p. 254.

[5]) Haeser, Gesch. der Medicin[4] p. 387.

[6]) Eunapii vit. soph. ed. Boissonadii p. 497.

Libanius epist. 1178. *διδάσκαλον τῆς ἰατρικῆς τέχνης ἐν Αἰγύπτῳ* appellat. Quod lemma praebet verbum *ἰατροσοφιστής*, confirmari videtur Palladae esse hoc ep., primum enim hunc Magnum aequalem Palladae medicinam docuisse Eunapius testatur, deinde tunc denique hoc nomen in usum venit.[1]) Perfacile est credere Palladam, ut erat ludi magister pauperrimus Alexandriae, in mortem clarissimi professoris artis medicae, qui in egregia illa universitate omnium litterarum artiumque eiusdem urbis docuit, ep. scripsisse, ut eundem Hypatiam quoque, quae in eadem schola docuit, ep. laudasse vidimus. Quo anno ille Magnus mortuus sit, nescimus.[2])

Omitto alios viros doctos conquisivisse alios aequales Palladae, ad quos epp. pertinere putabant. Reiske e. g. Patricium ep. XI, 386. commemoratum eundem esse censet, qui a. 390. Cpoli erat quaestor, alii proferebant Patricios, quorum Zosimus et Ammianus Marcellinus mentionem faciunt.[3]) Quibus audacius Reiske coniecit indoctum philosophum supercilii plenum ep. XI, 430. esse Nicostratum, quem talem fuisse Libanius dicit, praesertim cum hoc ep. Ammiani, non Palladae sit. Quibus ex omnibus coniecturis, quod firmis argumentis prorsus carent, de Pallada nihil certi lucramur.

Quoniam omnia, quae de Palladae aetate comperta habemus, composuimus, de forma nominis nobis nunc dicendum est, de qua viri docti dissentiunt. Prospere evenit, quod nomen Palladae plerumque perscriptum legitur in codicibus, qui semper genetivum exarant plerumque perispomenum. Si per compendia scribitur, plerumque $\Pi A\Lambda\Lambda\overset{\Delta}{A}$ exhibetur, quo haudquaquam genetivus in $\overline{ου}$ exiens notatur. In scholiis quoque semper genetivus reperitur cf. VI. 86, IX. 380, VII. 339, IX. 134/5. Omnia nomina masculina mixtae declinationis quae vocatur, genetivis in $\bar{ᾶ}$ exeuntibus usa Kuehnero et Blassio demonstrantibus perispomena sunt. Alia nomina, quae in $\overline{ας}$ excidentia non sunt perispomena, genetivo casu aliis litteris ac syllaba $\bar{ᾶ}$ terminantur. Genetivi in $\bar{ᾶ}$ exitus habentes ex solis nominativis in $\overline{ᾶς}$ exeuntibus manare possunt.[4]) Quod rarissime Palladae nomen oxytonum aut paroxytonum, quod in lexica plurima transmigravit, traditur, nihil valet pro numero perispomenorum. Nomina in $\overline{ας}$ exeuntia, quae apud antiquissimos perraro

---

[1]) Krumbacher, Gesch. d. Byzant. Litt.[2] p. 620.

[2]) Alium Magnum medicum ep. in Galeni imaginem scripsisse invenimus A. P. XVI. 270, quod ep. cum id unum doceat se post Galenum a. 200. circiter mortuum factum esse, utrum a Magno modo commemorato an a Magno archiatro a Galeno ipso laudato scriptum sit, diiudicare non possumus.

[3]) cf. Jacobsii comment. huius ep.

[4]) Kuehner-Blass, Griech. Grammatik I. p. 492. sqq. cf. et Lobeckium, Wolfii anal. litt. I. p. 50. et proleg. p. 47.

inveniuntur, Byzantiis temporibus, quae vocantur, in usum veniunt.[1]) Quibus de causis nemo poetae nomen *Παλλαδᾶς* fuisse neget. Tamen Salmasius, Saxius, Reiske, Hecker[2]) ex ep. IX. 380. et scholio adposito coniecerunt nomen fuisse Palladium. Ut hoc ep. re vera ad nostrum poetam pertineat, tamen nominum discrepantia nulla alia re declarari potest, nisi quod huius ep. auctor, cum in versu dactylico forma *Παλλαδᾶς*, ut est creticus, uti non potuerit, nomen mutare coactus est. Cum nomen Palladius multo usitatius esset — Fabricius, bibl. Gr. plures quinquaginta enumerat — facilius fieri potuit, ut scribae, qui lemmata anth. Pal. et Pl. exarabant, aberrarent a Pallada ad Palladium, quam vice versa a Palladio ad Palladam. Itaque quae Hecker l. l. p. 26. sensit: nomen Palladii aevi illius more in *Παλλαδᾶς* corruptum esse, convertenda sunt: nomen genuinum poetae erat Palladas, quod ep. IX. 380. fortasse propter causam metricam in Palladius permutatum est. Utrumque nomen quamquam ex eodem verbo derivatum est, ex *Παλλάδιον*[3]), tamen inter se permutatum esse exemplis non probatur, ut nomina *Λουκᾶς* et *Λούκιος* aequo modo ducta duo diversa nomina sunt. Itaque propius ad veritatem accedere nos putamus conicientes hoc ep. in Palladium poetam quendam scriptum esse, inter quos Fabricius nonnullos poetas in catalogo enumerat. Accedit, quod nomen Palladas non modo epigrammatario nostro, sed etiam alii cuidam homini, mechanico, datum est, quem Tzetzes enumerat.[4]) Itaque *Παλλαδᾶς* nomen epigrammatographi fuisse tenendum est.

Qua re omnes refutantur, qui epigrammatarium cum aliis Palladiis coniungere conati sunt, quibuscum nihil est commune nostro nisi aetas aut patria; ut commemorem Reiskium cogitare de Pallada rhetore, cuius Libanius in epistulis mentionem facit, alios praetermitto.

Semel Palladae cognomen *τοῦ μετεώρου* datum est in ep. IX. 528. lemmate: *Παλλαδᾶ τοῦ μετεώρου.* Quod nomen quid significet, adhuc declarari non potuit.[5]) Verbo *μετέωρος* hoc loco non nomen proprium, fortasse nomen patris poetae exprimi ex eo intellegitur, quod etiam ad alium poetam anth. Pal. adpositum invenimus, ad ep. IX. 481. *Ἰουλιανοῦ Σχολ. τοῦ μετεώρου.* Quod Jacobs[6]) hoc cognomen ornandi causa additum esse putat, improbo, nam primum hoc loco non est, cur Palladas laudetur, deinde cognomina laudandi

---

[1]) cf. H. Moritz, Die Zunamen bei den byzant. Historikern und Chronisten. Progr. regii gymn. Landshut. a. 1896/7.

[2]) Hecker, commentat. critic. de Anth. Graec. pars I. Lugduni Batav. a. 1852.

[3]) cf. Fick-Bechtel, Griech. Eigennamen p. 302.

[4]) Tzetzae alleg. in Iliad. V. edit. in anecd. Gr. Matrangae p. 66; item in anecd. Gr. Oxoniens. ed. Cramer II. p. 381.

[5]) Jacobs, Erschii et Gruberi encycl. s. v. Palladas.

[6]) In catalog. poetar. s. n. Palladas.

causa addita in anthologiis non inveni. Sed sunt cognomina, quae cognominibus usitatis exceptis a scriba fanatico Christiano adscripta sunt, cf. ep. IX. 367. *Λουκιανοῦ Σαμ. ἐπικαλουμένου ἀθέου,* ep. IX. 365. *Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου,* item ep. IX. 368, cf. etiam ep. XI. 108. in *E* et *S* lemmate inscriptum: *ἄδηλον ἀστεῖον τοῦ σατὰν Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου.* Fortasse hoc verbo scriba Palladae maledicere vult, quod hoc ep. in Christianos scriptum est. Vocem *μετέωρος* iam diu ante Palladam in malam partem acceptam esse Martini adfert exempla.[1])

Proximum est, ut exquiramus, qua in terra natus et, si non eadem est, moratus sit Palladas. Novies Alexandrinus appellatur: VII. 607, 610, 681, 683, IX. 165, 441, XV. 20, *V. 70, IX. 134/5,* semel Aegyptius in ep. IX. 175. post ep. IX. 481. iterati lemmate. Pl. nullum cognomen addit. Palladam Alexandriae natum aut per longum tempus versatum esse etiam ex lemmate ep. IX. 393. *εἰς τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ ἄρχοντας* effici potest et ex lemmate ep. XI. 204. *εἰς Αἰγύπτιον ῥήτορα.* Testis est praeterea ep. IX. 400. in Hypatiam illam philosopham Alexandrinam scriptum. Etiam id quod deos Aegyptios saepius commemorat: Isim (VI. 60.) Jovem Ammonem (VII. 687.), Serapim (IX. 174, *378.*), iuvat nos Alexandriam patriam esse Palladae putantes, quamquam haud ignoramus hos deos eis temporibus Romanis quoque notissimos fuisse. Haud recte Palladas Chalcidensis nominatur a nonnullis, qui epp. XI. 283—285. non perspexerunt. Quem errorem ab Opsopaeo primo (Pl^{W} p. 34.) factum, a Fabricio (bibl. Gr. IV. p. 485.), Schoellio (Gr. Litt. Gesch. vert. Pinder III. p. 26.), Nicolaio (Gr. Litt. Gesch. III. p. 364.) propagatum Reiske (not. poet. p. 253.) et Jacobs (catalog. poet.) refutantes ex his epp. id minime efficiendum esse demonstraverunt. Palladam Cpoli quoque fuisse nonnulla epp. indicare videntur, quibus res Cpolitanae tractantur: ep. IX. 528. in domum Byzantii aedificatam, ep. XI. 292. in Themistium Cpolis praefectum scriptum est, a nonnullis etiam ep. XVI. 282. in Victorias Cpoli collocatas referri supra iam diximus. Sed cum inter ep. XI. 292. et ep. IX. 528. spatium triginta sex minimum annorum interesse demonstraverimus, bis fuisse Cpoli Palladam coniciendum est. Eum quamquam post a. 420. admodum senem tantum iter fecisse non est veri simile, tamen anno 384. iuvenem discendi causa in capite imperii fuisse credibile est. Graecum, non Romanum fuisse Palladam ex ep. IX. 502, elucet; quamquam quod saepe verbis Romanis utitur, non est mirum in poeta huius aetatis.

Palladas se pauperrimum esse magistrum, grammaticum, qui mercedula artem grammaticam doceat ipse testatur multis epp. Quae ars neque magnas divitias neque contentum ani-

---

[1]) Martini, quaestion. Posidon. Leipziger Stud. XVII. p. 346.

mum ei parasse videtur, nam semper artem grammaticam in maximis malis ducit, eam praeter uxorem rixosam gravissimum esse onus dictitat, quod sustineat vitam miserrimam agens, cf. epp. IX. 168, 169, 172, X. 97, 44, *XI. 279,* 303. Quas sententias variare eum nunquam piget, nunquam poeta cessat deplorare vilem victum, nunquam gravatus est molestiam artis suae conqueri sive indignatione exacerbatus sive hilaritate ingeniosa illudens fatum suum, cf. e. g. ep. IX. 170, ep. XI. 383. Etiam vocabula artis suae propria iocose detorquere et ironice illudere sapit, cf. epp. XI. 383, IX. 175, minus venuste IX. 489, etiam quaestiones etymologicas tractat ep. IX. 502, ut omnino verbis ludere ei in deliciis esse videmus, cf. epp. inficeta X. 34, 73, XI. 323. Tamen Palladas se non *γραμματιστήν* vel *γραμματοδιδάσκαλον* fuisse, sed *γραμματικόν*, qui pueros in litteris iam progressos doceat, ipse dicit.[1]) Quod eo quoque demonstratur, quod Callimacho et Pindaro praeter Homerum vacavit cf. ep. IX. 175. Palladas cum aliis epp. paupertatem suam lamentatur, tum aliis epp. invehitur in divites eorumque superbiam, quod, ut faciat, non modo ea re commotus esse videtur, quod intellexit, quam vanae essent divitiae, sed etiam quod iis invidebat, qui prosperiore fortuna utebantur, cf. epp. IX. 172, 394,. X. 60, 61, 62, 63, 83, XI. 289, 290, 299, 301, 302, *294.*

Palladas cum quo magis senesceret, eo maiore paupertate premeretur, commotus esse videtur, ut senex artem grammaticam desereret: ep. IX. 171. se libros suos vendere et aliud aliquid suscipere dicit, ne fame pereat; ep. IX. 175. libros enumerat, quos pecunia exhausta discipulis digressis vendit, ep. XI. 378. arte grammatica deserta scripsit. Quod officium Palladas postea susceperit, nescimus, cum quae indicat ep. X. 97, incertiora sint, quam ut ex eis quidquam efficere possimus. Sed veri esse simile videtur poetam nostrum grammatica relicta rebus secundioribus usum esse, quod praeter epp. fatum malum deplorantia alia invenimus epp., quibus epigrammatarius noster se sorte sua, angusta quidem, contentum esse dicit, cf. epp. IX. 172. (*ἤλυθον εἰς λιμένα*) item ep. *IX. 49, IX. 134/5,* X. 86. Munere publico eum non functum esse inde apparere mihi videtur, quod interdum de magistratibus maligne iudicat, ut ep. IX. 393. de magistratibus Aegyptiis, ep. XI. 292. de Themistio praefecto, in quo ep. fortasse aliquid invidiae inesse in collegam felicius incrementa dignitatum assecutum putes.

Alterum malum, quod gemere nunquam desiit et quod diutius quam artem suam, fortasse usque ad mortem suam pertulit, est uxor. De nequitia uxoris vel omnium mulierum plurima epp. Palladae scripta sunt, enumero epp. IX. 165—169, X. 50, 55, 56,

---

[1]) Qua re hi inter se differant, explicavit Grasberger, Gesch. d. Unterrichts II. p. 200. et 258.

XI. 381. Ep. XI. 381. se libenter uxori repudium renuntiaturum esse profitetur, nisi lege impediretur.[1]) Scholio ep. IX. 168. nomen uxoris Ἀνδρομάχη indicatur: ψόγος εἰς τὴν ἑαυτοῦ γαμετὴν ἀνδρομάχην. Si versu XI. 378,5 οὐ δύναμαι δ' ἀλόχου τῆς ἀνδρομάχης ἀναχωρεῖν re vera nomen proprium exprimi crederes, compara quaeso epp., in quibus Palladas de proeliis cum uxore committendis verba facit, in primis ep. IX. 168. v. 4. γαμετῆς μαχίμης et ep. Append. I. Confer et ep. *V. 70.* in quo eodem modo eodem nomine uxoris Zenonis ludit poeta, considera Palladam nomina consulto eligere, ut ep. VII. 610. Πενθεύς et Πενθεσίλεια ob vocem πένθος: iam concedes non esse credendum Andromacham fuisse verum nomen uxoris Palladae. Etiam liberos fuisse Palladae ep. X. 86. docere videtur, inter quos fortasse erat filia ep. IX. 489. teste.

Sed haec hactenus: iamiam ut videamus, utrum Palladas Christianus an paganus fuerit, testimonia examinemus.

Ep. XI. 384. irridet poeta nomen monachorum, quod repugnet cum multitudine eorum. Alexandriam his temporibus praecipue tumultibus catervarum ferocium monachorum perturbatam esse narrant scriptores aequales, in primis Socrates in hist. eccl.; Hypatiam quoque furore fanatico istorum gregum periisse notum est. Hoc ep. cum ep. IX. 400, quo Hypatiam tantopere laudat, coniungentibus nobis non est difficile perspicere, ab utra parte Palladas steterit. Christianis eum succensuisse etiam ex ep. IX. 528. elucet, quod illi deorum simulacra mutaverint; persimile est ep. IX. 441, quo dicit Hercules eversus se prudentem tempori servire.

Epp. X. 90. et 91., quamquam quid significent, nondum explicari potest, tamen id unum ostendunt lugere poetam, quod maiorum cultus deorum pereat, et irasci religioni Christianae, quae in dies crescat, nam Ἕλληνες illis iam temporibus nulli appellantur nisi pagani.[2]) Quibus in epp. Palladas se ipsum in Ἕλλησι numerat. Hic coniecerit quispiam Palladam baptismate Christianum factum specie novam fidem professum esse, eum ut Herculem eversum ep. IX. 441. prudentem tempori servivisse, eum fortasse eidem ep. sensum profundiorem subiecisse se defendentem, quod defecisset. Mente autem et animo paganus mansit, quod etiam epp. X. 90. et 91. testantur. Item Palladam dolere rebus adversis Ἑλλήνων epp. X. 89. et 82. ostenditur, quorum in posteriore cum dicat ζῶμεν, se ipsum includit. Fortasse huc tria epp. in Fortunam scripta IX. 180—182. referenda sunt, cuius templum in cauponam muta-

[1]) Cum omnibus temporibus de uxore repudianda leges latae sint, hoc ep. certam legem significari, fortasse legem a Constantino a. 351. latam cod. Theod. III, 16, 1. censere audacius est.

[2]) Joviano imperante hoc verbum ita usurpari comperimus ep. App. 298. (= Cougnyi ed. I. 353.) cf. Reiskium not. poet. p. 253. sqq.

tum erat a Christianis profecto, praesertim cum epp. sententiae consentiant: cf. ep. IX. 181. v. 1. et ep. X. 90. v. 7.

Sed non modo his testimoniis extrinsecus sumptis, sed etiam sententiis philosophicis, quas in epp. explicat, demonstrat Palladas se animo non fuisse Christianum. Permulta in epp. Palladas, ut est praeceptor et usu vitae peritus, profert proverbia et praecepta, quae ad vitam instituendam spectant. Quibus rebus quamquam Epicuri rationes in primis sequitur, tamen non totus Epicureorum disciplinae deditus est, sed morem aequalium secutus ex omnibus philosophorum disciplinis sententias elegit. Summum quidem deum agnoscit, quem *θεόν* appellat epp. X. 57, 94, vel *δαίμονα* X. 34, 77, VII. 610, sed praeterea Fortunam esse in primis cum plerisque aequalibus credit, quae vitam hominum regat animo mutabili: quam sententiam Epicureorum terere, novis figuris et exemplis ostendere deam Fortunam caecam et inconstantem sortes hominum permutare nunquam desiit, sed iniecit interdum se indignari, quod Fortuna sibi ipsi tam parvam sortem tribuisset, cf. epp. X. 62, 65, 80, 87, 96, IX. 180—183. multa alia. Quamquam praeterea deos antiquorum Graecorum praesentat inde ab Jove summo (epp. IX. 165, 167.) usque ad Musas (epp. IX. 170, *XI. 343.*) et Victorias (ep. XVI. 282.) — de deis Aegyptiis iam diximus — tamen his deis carminum ornandorum causa introductis non constanti fide addictus est, sed studio omnia in dubium revocandi deditus deorum vitia carpit (ep. X. 53.).

Contra mutabiles casus Fortunae iterum Epicureorum rationes secutus *ἡσυχίην*, *ἀταραξίαν* Epicureorum, commendat et praecipit, ut homines contenti sint mediocri sorte neque paupertate pressi neque divitiis excitati, cf. epp. IX. 172, 394, X. 51, 61, 77, 86, XV. 20, X. 46, XI. 300. Etiam id quod Epicurus dicit: *ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς* ob eamque causam mortem non esse timendam, Palladas multis in epp. praedicat, tamen studendum esse dicit, ut vitam perbrevem instituamus quam iucundissimam, quod simillimum est eis, quas Epicurei sentiunt de voluptate, cf. epp. X. 47, 77, 78, XI. 54, 55, 62. Eo quod Palladas Epicuri sententias in primis sibi adsciscit, affirmatur, quod in priore huius capitis parte coniecimus: Themistium orationem XXXIV. contra Palladam habuisse. In fine enim huius orationis sectatores Epicuri Themistius aggreditur, quod ad Palladam quadrare nunc videmus. Iure ac merito igitur haec verba iam a Maio ad Palladam relata sunt.[1])

De animae immortalitate Palladas Platoni repugnans haec sentit: homines e luto creatos post mortem lutum vel nihil fieri, cf. epp. X. 58, 59, 78, 79, 84, 85, XI. 349, *VII. 339*, *X. 118*. Qua a sententia unum ep. X. 88. discrepat, quod immortalem animam

---

[1]) not. ad h. l. ed. Dindorf. p. 471.

morte e vinculis corporis solutam ad deum immortalem refugere dicit, quam ob rem pro spurio habendum esse supra p. 9. ostendimus.

Quibus rebus cognitis Palladam non fuisse Christianum nobis putandum est.

Caput tertium.

De sylloga Palladana.

Quaestio ad quam absolvendam nunc accedimus, quanam in epp. collectione Palladae epp. recepta sint, omnium haud dubie gravissima est historiae epp. Graecorum, quae nobis tractandae sunt. Cum Palladas floruerit inter Diogeniani anthologium et Agathiae cyclum, huius collectio una est, in quam epp. Palladae inseri potuerunt, nisi putamus collectionem epp. Palladae solorum Constantino Cephalae in manibus fuisse, ex qua ille Palladae epp. in anthologiam Palat., quam composuit, transtulerit. Nam syllogarum minorum, quas Weigand praeterea enumerat[1]), nullam huc pertinere infra explicabimus. Hanc quaestionem, quamnam in anthologiam inserta fuerint epp. Palladae, viri docti adhuc paene siccis pedibus transilientes alii epp. Palladae in cyclo Agathiae recepta esse, alii collectionem epp. Palladae propriam usque ad Cephalae aetatem servatam esse putabant.

Jacobs primus hanc quoque quaestionem adiens propter longas epp. Palladae series nullis aliorum poetarum epp. intermixtis coniecit[2]) collectionem exstitisse epp. Palladae unius, quam Agathias non excerpsisset, immo vero eam diutius servatam mansisse alio loco censuit.[3])

Cuius sententiam Weigand l. l. exsecutus in primis scholio ep. VII. 339. nixus item negat epp. Palladae cum Agathiae cyclo coniuncta esse.

Quibus rebus consideratis Hecker quoque l. l. p. 26. collectionem epp. Palladae exstitisse existimavit, cuius maiorem partem epp. irrisoria explerent. Quod probaverunt Finsler l. l. p. 5, Duebner ed. praef. vol. I, p. XIX. adnot; Wolters Rh. M. 38, p. 103, Sakolowski l. l. p. 64, L. Schmidt-Reitzenstein, Paulyi-Wissowae encycl. s. v. Anthologia.

---

[1]) Rh. M. 1845 p. 557.
[2]) Proleg. p. LXXVIII.
[3]) Wolfii analect. litter. I. (1816) p. 364.

Dilthey longius progressus in collectione epp. Palladae etiam Luciani epp. fuisse arbitratur.[1])

Aliter sentit Weisshaeupl „Grabgedichte", qui cum fragmenta coronarum singularum composuerit, epp. Palladae inter Agathiae cycli epp. enumerat. Idem p. 34. cum maioribus epp. syllogis recensitis Palladae collectionem omittat, Palladam Agathiae cycli esse indicat.

Sternbach quoque Mel. p. 22. collectionem Palladae non commemorat.

Stadtmueller nonnullis locis hac de re locutus primum rem in medio reliquit vel de cyclo Agathiae cogitavit[2]), deinde inter Palladae epp. et cyclum secernendum esse putavit.[3]) Quam rem ut nos ipsi absolvere conemur, contemplemur, quibus locis epp. Palladae inveniantur.

In universum si respicimus, animadvertimus in anth. Pal. multas meras epp. Palladae series prodi longiores quam aliorum poetarum, quod repugnat Cycli compositioni, in quo Agathiam auctores ita mutare constat, ut raro complura eiusdem poetae epp. coniuncta legantur, qua re nomen Cycli declaratur. Praeter has series multa singula Palladae epp. dispersa invenimus, quae nobis, quo loco inserta sint, examinantibus maximi sunt momenti. Itaque ea epp. primum perscrutemur, quae in fragmenta Agathiae cycli dispersa esse videntur quaeque Weisshaeupl in fragmentis huius collectionis enumerat. Ex quibus has inveni series: V. **216—302**, in qua ep. 256. *Παλλαδᾶ*, quod Palladae denegandum, sed veri similius Paulo Sil. tribuendum esse Stadtmuellero praeeunte explicavimus.

VI. **54—86**. Quamquam Weisshaeupl hanc seriem fragmentum Cycli esse putat, tamen rectius Stadtmuellero auctore epp. 54—59. secernenda sunt, quod etiamsi ponimus Palladam fuisse Cycli, tamen ep. 62. Philippi Thessalonic. hanc seriem interrumpi apparet. Itaque aperte haec epp. Palladae 60. et 61. in fine seriei vel initio interruptionis exstant; huc inserta sunt propter similitudinem anathematis, quod laudant. VI. 85., quod in posteriore serie invenitur (63—86.) finem facit fragmenti Cycli cum ep. sequente *Εὐτολμίου Σχολαστικοῦ Ἰλλουστρίου*. Quorum epp. quin alterum ab altero pendeat, non est dubitandum, quod iam scholio a scriba A addito notatur. Et ep. Eutolmii quidem anathematicum prius esse apparet, quod Palladas parodice imitatus est. Utrumque ep. cum ultimum sit Cycli fragmenti, aut appendix aut pars huius fragmenti est.

---

[1]) Ind. lect. Gotting. A. S. 1887. p. 18.

[2]) ed. praef. p. XXVIII: „cuius [sc. Palladae] syllogam Agathias, opinor, non neglexit" et p. XLI. ad ep. 256, 4. „Palladae epigrammata in Cyclo nulla fuisse pro certo contendi nequit."

[3]) B. ph. W. 1895 p. 356 sqq., quam sententiam nuper disertius ed. II. fasc. 1. p. VIII. et p. XXV. profert.

Sed miramur, quod eorundem poetarum epp. alibi coniuncta leguntur, in VII. libro, ubi haec lemmata exstant:

VII. 607. *Παλλαδᾶ Ἀλεξ.*
VII. 608. *Εὐτολμίου Σχολ. Ἰλλ.*
VII. 609. *Παύλου Σιλεντ.*
VII. 610. *Παλλαδᾶ Ἀλεξ.*
VII. 611. *Εὐτολμίου Σχολ. Ἰλλ.*
VII. 612. *Ἀγαθίου Σχολ.*

Quibus rebus perspectis nemo est, qui neget ambos poetas necessitudine quadam inter se coniunctos esse. De Eutolmio nihil scimus, sed eum, cum inter poetas Cycli fuisse certo demonstrari non possit, tam in Cyclo, quam in collectione Palladae epp. exstitisse veri simile est.[1]) Id unum sequitur ex hoc ep. VI. libri eum aut aequalem aut antiquiorem Pallada fuisse, quod hic illum imitatur. Eutolmium cum duobus ex quattuor epp. nobis servatis poetas coronae Philippi Thessalonicensis imitetur — ep. VII. 608. ex VII. 644. Bianoris, VII. 611. ex VII. 183. et 184. Parmenionis fluxit — post hanc coronam collectam floruisse liquet. Praeterea ex cognomine *Ἰλλουστρίου* evincere possumus eum summa dignitate fuisse.

Ep. IX. **441**, cum praecedat seriei Agathiae (442—447.), affirmari non potest Palladam Cyclo teneri.

IX. **481—482**. Weisshaeupl Cycli fragmentum esse non recte putat, sequuntur enim post longam anonymorum epp. seriem haec epp.:

481. *Ἰουλιανοῦ Σχολ.*, in Pl. idem *ἄδηλον*. Num hic Julianus Scholast. idem sit atque Julianus Antecessor, num hic sit ille Julianus iuris consultus Justiniani aevi, num hic ad Cyclum pertineat, demonstrari non potest.

481. = IX. 175, utroque loco Palladae, cf. supra p. 7.[2])
482. *Ἀγαθίου.*
483. n. l.
484. Palladae.
485. Heliodori cum ep. 490. ex Heliodori libro, qui *Αἰθιοπικοί* inscribitur, ereptum est, quem quarto saeculo exeunte, dum Palladas vivit, scriptum esse constat.
486. Palladae.
487. n. l. hoc loco, sed ex longa Palladae serie sumptum est.
488. Tryphonis, cuius hoc unum ep. servatum est.
489. Palladae.
490. Heliodori eiusdem atque ep. IX. 485.

Quibus causis Weisshaeupl commotus sit, ut hoc loco fragmentum Cycli esse putet, intellegere non possum, cum aperte seriem

---

[1]) Weigand, Rh. M. 1845 p. 561 sqq., Eutolmium in antiquissimis poetis Cycli numerat fortasse his locis commotus.

[2]) Weisshaeupl p. 23. falso ep. 118. notat.

diversorum epp. inveniamus, in quam unum ep. 482. Agathiae insertum est.

IX. 773. non tam fragmentum Cycli finit, ut notat Weisshaeupl, quam seriem mixtam incipit.

Quibus rebus cognitis nequaquam adduci possumus, ut censeamus in libris VI., VII., IX., quos a Constantino Cephala collectos esse nemo adhuc negavit, epp. Palladae inter Agathiae Cycli epp. inserta esse, sed ea a fragmentis Cycli secerni possunt.

Ad reliquos libros X. et XI. transeuntes compositione horum librorum discrepante aliter progredi cogimur. Omnes anth. Pal. libri quam indiligenter collecti sint, Finsler et Weisshaeupl perscrutati ultimos collectores, in primis Constantinum Cephalam epp. disposuisse rationes nimis amplas secutum ostenderunt, sed eum fontem, quemcunque in manibus teneret, continuum exscribere solitum esse partitionem librorum quam proposuerat, negligentem. Qua re epp. recepta sunt quae non sunt eorum librorum, in quibus exstant.

Quas res non satis respexisse viri docti libri X. ordinem examinantes mihi videntur, sed in universum tres illas partes huius libri notare acquieverunt. Sunt autem hae tres partes: 1. epp. 1—25. pleraque protreptica[1]), quibus Priapus *ὁ λεμνίτης* nautas ut vere ineunte vela dent, admonet; epp. quae sequuntur, hunc Priapum describentia sensum protrepticum iam reliquerunt (7, 8, 9.). Deinde Pan excipit Priapum, donec ep. 14. ad propositum revertitur. Ab ep. 17., cuius argumentum consimillimum est ep. 16., incipit series alphabetica Philippi coronae, cuius maior pars non est protreptica. Epp. antecedentia sunt diversarum collectionum, epp. 1—3. Meleagreae, epp. 4—13. fortasse Philippeae, ep. 14—16. Agathianae, Palladae epp. hic non inveniuntur.[2])

---

[1]) Sunt omnia neque *προτρεπτικά,* cum epp. 7. et quae sequuntur, nihil habeant protreptici, neque *προπεμπτικά,* quae vocat Sakolowski l. l. p. 12 adn. 5, cum epp. 9, 12, 13. alia repugnent.

[2]) Haec inter epp. in Priapum sive in Panem scripta unum ep. 3. excipitur, quod sententiam ad mortem pertinentem profert. Quam ob rem cum ep. praecedente coniungendum esse conicio, in quod optime quadrat: Priapus enim nautas adhortatus, ut naves solvant, ne pericula navigandi timeant, quod mors eos ubique capessere possit, admonet. Firmatur, quod sentio, ep. 14., quod quin ad hoc referendum sit, non est dubium: cf. v. 2. *φρικὶ χαρασσομένη* — ep. 14. v. 2. *φρικὶ χαρασσόμενα,* utroque ep. poetae hirundinem domum fingentem laudant, at plerisque aliis epp. hirundinem garrientem. Respice praeterea verba opposita: ep. 3. *εἴτ' ἀπ' Ἀθηνῶν — εἴτε ἐκ Μερόης* et ep. 14.: *κἂν παρὰ Σύρτιν — κἂν παρὰ Σικελικήν.* Etiam nexus sententiarum simillimus est. Neque in numeris mutatis offendendum est, quod ep. 3. praebet sensum communem. Quae epp. iam pridem disiuncta esse apparet eo, quod Pl. ea dissecta tradit.

2. Epp. **26—103**, quorum argumenta diversa sunt ab argumentis epp. prioris partis, aut praecepta aut sententiae sunt. Hanc partem non ex vetustiore collectione *παροιμιῶν* manasse, ut putat Sakolowski l. l. p. 12. et p. 16, sed singulas collectiones epp. item atque in reliquis libris exhaustas esse a collectore intellegemus, si hanc partem accuratius perlustraverimus. Continet has series:

a) epp. 26—43. Luciani (sive Lucillii), Palladae, *ἄδηλα* intermixta,

b) 44—63. epp. Palladae solius,

c) 64—76. epp. Agathiae Cycli et Palladae intermixta.

Quae epp. non ab initio, sed ab indiligenti compilatore coniuncta esse docent argumenta. Cum enim epp. Palladae praecedentia sententiosa de Fortunae mutabilitate et de vitae vilitate facta sint, ep. 64. Agathiae excipit has sententias item atque ep. 65. Palladae et ep. 66. Agathiae. Sed tum compilator pergit neglegenter Cyclum Agathiae, quem excerpere coeperat, exscribere non deliberans epp., quae sequuntur, non ad argumentum propositum pertinere, nam ep. 67. de Lethe et Mneme factum vix, ep. 68. Agathiae nequaquam huc referendum est. Ep. 69. denique ad propositum revertitur. Etiam ep. 71. Macedonii ab his epp. sententiosis plane abhorrens veri est similius epidictice scriptum esse in Pandorae imaginem. Epp. 72. et 73. Palladae sunt item sententiae, ep. 74. Pauli Sil. ob eandem causam additum est item atque ep. 76. Ep. 75. Palladae insertum esse videtur, quod in eo *αὖραι* commemorantur pariter atque in ep. 74., quamquam haec vox in utroque ep. non habet eandem notionem. Quales voces similes persaepe compilatorem fefellise multis probatur exemplis. Sequitur inde ab ep. 76. mera series Palladae epp. (77—88.), quae easdem sententias continuat. Videmus igitur collectorem hac in parte Palladae epp. pro fundamento posuisse et Agathiae Cycli epp., ubicunque consimilia ei viderentur, inseruisse, sed eum altero fonte non satis diligenter usum esse, ut exscribere pergens epp. inmisceret, quae non ad argumentum propositum quadrant.

d) epp. 77—79. Palladae non intermixta continuare diximus sententias usque ad ep. 88. Tum compilator pergit Palladae epp. addere neglegens Palladam saepius argumenta variare. Ep. 100. demum recordatus compilator, quid sibi proposuerit, hoc Philippi coronae fragmentum adscribit:

e) epp. 100—103., ex quibus ep. 100. solum pertinet ad propositum, sed ep. 101. demonstrativum, ep. 103. irrisorium est.

Intellegimus igitur ex his quoque epp. compilatorem, ubi novis fontibus utatur, primum ep. inserere, quod simile est antecedenti, deinde autem libenter in eadem corona commorari, etiamsi non est argumenti propositi.

Ultimam partem libri X. additam a recentiore compilatore

tenent in primis versus ex libris, fortasse etiam ex lapidibus (cf. ep. 111.[1]) collecti. Quae epp. aut ἄδηλα aut ψευδονόματα, cum nomina a recentiore librario adscripta falsa esse demonstrari possit aut iam a Pl. omissa sint, haud dubie explendi causa ad X. librum addita sunt item atque appendices breviores in fine IX. et XI. librorum manu recentiore adscriptae. Neque tamen est negandum hunc compilatorem fortasse collectionem epp. Palladae servatam tenuisse, cf. infra p. 72.

Liber XI. quo modo compositus sit, a Sakolowskio l. l. p. 72. sqq. nequaquam explanatum est, cui tres causae obsistunt:

1. Primum quaestio num liber XI. a Constantino Cephala collectus sit, non tam obiter praetermittenda est, ut Sakolowski dubitationibus Henrichseni, Weigandi, Stadtmuelleri neglectis praetermittit.

2. Vestigia coronae Meleagri ex hoc libro amoveri non possunt, quod Sakolowski conatus est epp. quae duobus locis traduntur, non respectis.

3. Cum inter Lucillii et Luciani epp. certo distingui non possit, id quod Sakolowski sentit omnia libri XI. epp. Luciani nomen prae se ferentia spuria esse arbitratus, nimis festinanter iudicatum est.

Certius nos diiudicare posse speramus epp. non auctores, sed argumenta perscrutantes. Etiam liber XI. divisus est in partes tres: Primam partem epp. **1—64**. inscriptio docet continere epp. convivalia, quae quamquam pleraque numeranda sunt in epp. irrisoriis, tamen altera suprascriptione ad ep. 65. addita ab epp. irrisoriis secreta sunt. Sed re vera hac in parte non solum epp. sympotica sunt, sed etiam intermixta scoptica (epp. 9, 15—19.) erotica (7, 9ᵃ, 30.) paederastica (21, 22, 36, 51—53.) aliaque. Omnes coronae uno Cyclo Agathiae excepto epp. contulerunt ad hanc partem.

Ex Meleagri stephano haec inveni epp.: Ep. 9.ᵃ = V. 161. post ep. 9. insertum a scriba B Σιμωνίδου, priore loco ab A. Ἡδύλου οἱ δὲ Ἀσκληπιάδου inscriptum est. Hoc ep. a Sakolowskio praetermissum nimirum, quod in editionibus non iterantur haec epp. bis tradita, ex longa libri V. serie coronae Meleagri ereptum ad ep. V. 158. referendum est, quod item a poeta Meleagreo quodam haud dubie scriptum est. Quas ob causas quin hoc ep. 9ᵃ Meleagreae coronae fuerit, non est dubitandum.[2]) Praeter hoc ep. duo Hedyli epp. exstant in libro XI., epp. 123. et 414., quae Sakolowski de nimis levibus causis, Knaack de certioribus causis Hedyli esse negat.[3])

---

[1]) cf. C. I. A. 1935 = Kaibel, inscr. ex lap. coll. 1116.
[2]) cf. Stadtmueller ed. app. crit. huius ep.
[3]) Susemihl, Alex. Litt. Gesch. II. 533. adn. 74.

Epp. 12. et 12. Alcaeo adscripta sunt, ex quibus ep. 12.[a] = IX. 519. item a Sakolowskio neglectum, in libro IX. inter alia Alcaei epp. exstat et a Susemihlo l. l. II. p. 544. inter genuina epp. Alcaei receptum est, cum de re Alcaeo aequali scriptum sit item atque XI. 12., quod a Sakolowskio solo in dubium vocatur. Causae, quas ille adfert, haud probabiles sunt, nam ut omittamus P. et Pl. formas dialecticas tam varie tradere, ut ex dialecto sola nihil de epp. efficere possimus, invenimus etiam epp., in quibus Alcaeus dialecto Ionica sola utitur cf. V. 9, VII. 247, 495, XII. 64. Praeterea Sakolowski arbitratus Nicarchum ep. XI. 1. sibi ep. XI. 12. imitandum proposuisse, ep. 12. Lucillii esse conicit, quod Nicarchus neminem nisi Lucillium imitatus sit. Sed id quidem nondum demonstratum habemus, quod etiam in Sakolowskii libro, cui Nicarchus, ut est poeta anthologii Diogeniani, tractandus erat, demonstratum desideramus. Accuratius inspiciamus, quo modo Nicarchus ep. 12. imitatus esse existimetur. Nihil invenimus, quod habeant commune haec epp. nisi exemplum allatum: *οἶνος καὶ Κένταυρον ἀπώλεσεν.* Quae verba aut ex Homeri Od. *φ* 295. sumpserunt poetae aut ex proverbiorum usu, cf. Callimachi ep. VII. 725, ita ut alterum ex altero ep. pendere nequaquam putandum sit.

Itaque epp. 12. et 12.[a] quoque genuina fragmenta sunt coronae Meleagri; ep. XI. 12. insertum est fortasse propter nomen Epicratis idem in ep. 11. commemoratum, quamquam non eundem hominem significant.

Ep. XI. 7. *Νικάνδρου* P., *Νικάρχου* Pl. Schneidero, Nicandr. p. 37. demonstrante Nicarchi, itaque anthologii Diogeniani est.

Fragmentum alius collectionis, non coronae Thessalonicensis, quod putat Sakolowski l. l. p. 7., cum Jacobsio et post eum Bergkio[1]) censemus epp. XI. 47—49., praesertim cum etiam in epp. IX. 715—718. Anacreontis et Eueni nomina coniuncta legantur.[2])

Stratonis quoque epp. tria hac in parte inveniuntur: epp. 19, 21, 22. Stratonem, qui qua in corona receptus sit, etiam Sakolowskii dissertatione nondum explicatum est, Stadtmuellero auctore[3]) nihil habere cum Diogeniani anthologio veri similius mihi esse videtur.

Ex Philippi corona longa series ab ultimo ep. *κατὰ στοιχεῖον* incipiens collata est, in qua epp. 27. et 39. ordinem elementarium servantia Macedonio adscripta eiusdem esse non possunt Macedonii, cuius epp. Agathiam collegisse constat.

---

[1]) Poet. lyric. Gr.[4] II. p. 274.

[2]) Finsler l. l. p. 101. adn. 2. magna cum veri similitudine ep. 50. quoque ex florilegio quodam, fonte compilatoris nobis ignoto, sumptum esse conicit.

[3]) B. ph. W. 1895. p. 356.

Epp. 32. et 45. Onestae quod exstant in serie alphabetica, hunc poetam coronae Philippi tribuendum esse docent.

Minora fragmenta coronae Philippeae sunt epp. dispersa 4, (5, ?) 20, (50? cf. Bergk. l. l.).

Diogeniani anthologii sunt epp. 1, 2 (5?), 6, 7, 10, 11, 13—18.

Agathiae Cycli: epp. 57—64. ep. 62. Palladae excepto. Sed ne quae desideretur collectio, Leonidae Alexandrini quoque *ἰσόψηφον* ep. 9. et inscriptionem nobis alibi servatam XI. 8. invenimus.[1])

Quoniam igitur omnes fere syllogas epp. nobis notas hanc in partem epp. contulisse vidimus, non miramur, quod Palladae quoque epp. hanc in partem inserta sunt: epp. 54, 55, 62. Quocum convenit, quod ep. 56. quoque Palladae esse videtur, cf. p. 22. Quod unum ep. 62. est inter epp. Cycli, impelli non possumus, ut Cyclum Agathiae Palladae epp. continere existimemus.

Altera pars libri XI., epp. **65—255.** continens, epp. in certa capita divisa prodit omnia paucis exceptis scoptica. Cum quo ordine capita ipsa disposita sint, perspicere non possimus, veri simile est eum, qui librum XI. composuit, hunc ordinem ipsum instituisse, non ex alia collectione sumpsisse. Quod etiam probatur ordine in singulis capitibus servato. Epp. enim anthologii Diogeniani sunt, ut ita dicam ossa, circum quae fragmenta reliquarum syllogarum circumposita sunt sicut caro, nam ex his 27 capp. huius partis 26 capp. initium faciunt ab epp. Diogeniani anthologii; primum solum cap. *εἰς γραῦν*, rectius *εἰς γραῦς* scriptum (epp. 65—74.) incipit ab ep. Philippi coronae. Quibus ex 26 capp. 23 incipiunt ab epp. Lucillii.[2]) Sola capita *εἰς δρομέας* (82—86) ab ep. Nicarchi, *εἰς ποιητὰς* (127—137) ab ep. Polliani, *εἰς πονηροὺς* (226—232) ab ep. Ammiani incipiunt. Epp. reliquarum anthologiarum perpauca hac in parte reperiuntur, semper in fine capitum, nam is, qui collegit haec epp., primum anthologii Diogeniani epp. in capita divisit et quaecunque similia epp. in reliquis anthologiis invenit, addebat. Qua de causa non est admirandum, quod longae series unius syllogae hac in parte non reperiuntur, cum ordo veterum collectionum novo ordine solutus sit. Quod Sakolowski l. l. p. 4. non deliberans se series alphabeticas investigasse gloriatus series trium tantum epp. enumerat partitione capitum neglecta, quae etiam casu quodam hunc ordinem consequi potuisse non consideravit.

Singula capita nunc examinemus, ex quibus haec sunt disturbata:

---

[1]) Kaibel, epp. Gr. ex lapidibus coll. 646[b].

[2]) Nam ep. 112. quoque, quod primum est capitis *εἰς ἰατροὺς* inscripti Pl. assentiente Lucillio tribuendum est contra P. Nicarchi cf. Sakolowski l. l. p. 17. Simili modo coronam Meleagri dispositam esse Radinger, Philol. 54. (1895) p. 297. ostendit: epp. unius poetae pro fundamento esse, ad quae reliqua epp. addita sint.

1) in caput de hominibus parvis et macilentis (epp. 88—111) scriptum falso inserta sunt ep. 96. in macilentos turdos, ep. 97. in hominem ingentis amplitudinis, ep. 98. in oppidum obscurum scriptum.
2) ep. 195. Dioscoridis non est capitis εἰς θηρατάς inscripti; praeterea iteratur post ep. XI. 361. inter alia Meleagri coronae epp.
3) epp. 201. et 202. interrumpunt seriem epp., quibus nasi ingentes illuduntur, ex quibus ep. 201. aegre, ep. 202. nequaquam ad hoc cap. referri potest.
4) Inde ab ep. 243. disturbatio increbescit: ad ep. 243. falsus titulus capitis additus est, qui rectius εἰς βραδεῖς est scribendus; lemmatista fortasse sensum ep. non perspexit, cum hoc ep. ex duobus epp. consarcinatum esse videatur.

Sequuntur haec epp.:

244. εἰς μιλιάριον ψυχρόν.

245—247. εἰς πλοῖα σαθρά, ad quae ep. sequens in navem factum vix referendum est.

249—252, quorum argumenta inter se dissimillima sunt.

253—255. εἰς ἀφυεῖς ὀρχηστάς, quae hanc partem finiunt.

Quibus cognitis perquiramus, quae syllogae praeter Diogeniani anthologium epp. in hanc partem contulerint.

Initium huius partis faciunt tria epp. coronae Philippeae. Eiusdem capitis est ep. 72. Βάσσου Σμυρναίου in P., Νικάρχου in Pl., quod Sakolowski l. l. p. 49. Lollio Basso poetae Philippi coronae tribuit, sed librarium ita egisse putat, ut nusquam in anthologia exemplis probatur. Fortasse maior fides habenda et Pl., nisi credas hunc Bassum Smyrnaeum esse unum ex multis illis poetis, quorum unum ep. servatum in primis in libro XI. receptum esse videmus, quam ob rem nihil certi de illis poetis cognoscere possumus.

Praeterea in eodem cap. ἰσόψηφον Leonidae Alexandrini, ep. 70., invenitur.

Ep. 100. ἄδηλον in P., in *E* et *S* Juliano Parabatae tribuitur, fortasse a librario Christiano furore inflammato.

Ep. 117., quod iam Stadtmueller, B. ph. W. 1895 p. 356. genuinum ep. Stratonis, qui Musam puerilem collegit, demonstravit, fortasse ob eas res, quas tractat, anthologio Diogeniani tribuendum est.

Ep. 123. iam Knaack[1]) spurium esse ostendit.

Ep. 129. Cerealis; cuius coronae fuerit Cerealis diiudicare non possumus.

---

[1]) cf. Susemihl, Alex. Litt. Gesch. II. 533. adn. 74. Hac de re nuper egit Ouvré: Quae fuerint dicendi genus ratioque metrica apud Asclep., Posid. Hedyl. 1894. p. 31.

In capite εἰς μικρολόγους scripto (epp. 165—173.) ep. 168. Antipatro poetae Philippi stephani vindicatur, ep. 173. Philippo ipsi cf. p. 22.

Quibus in syllogis ep. 182. Dionysii et ep. 232. Calliae Argivi numeranda sint, nescimus.

Ep. 187. Settio demonstrante ἰσόψηφον est.[1])

Epp. 198—200. item sunt additamenta reliquarum anthologiarum: ep. 198. a Sakolowskio l. l. p. 49. Diogeniani anthologio, a Stadtmuellero ed. ad. VI. 282. Meleagri coronae tribuitur, 199. ἰσόψηφον Leonid. Alex. est. Hoc in capite duo capita permixta esse iam supra diximus: caput εἰς αἰσχρούς inscriptum ex anthologio Diogeniani ereptum, caput εἰς ῥῖνας μακράς ex diversis fontibus compilatum continet epp. 198, 199, 200, 203, 204. poetarum Theodoridae, Leonidae Alexandrini, Heraclidae coronae Philippeae, Palladae.

Epp. 213. et 214. dubito num sint Leonidae Alexandrini, quamquam argumenta in hunc solum pertinere possunt, sed non sunt ἰσόψηφα.

Cap. εἰς ἀσελγεῖς inscriptum coniungit nimirum et poetas anthol. Diog. et nonnullos alios poetas, qui epp. paederastica scripserunt, ut Meleagrum et Stratonem.

Epp. 235—238. Pseudo-Demodocea addita sunt ex Cyclo opinor.

Ep. 248. Bianoris coronae Philippi in fine capitis exstat post poetas Diogenianeos item atque ep. 256. Palladae.

Duo igitur epp. Palladae, quae hac in parte inveniuntur, compilator in fine capitum posuit, ut fere omnia reliquarum syllogarum epp.

Tertia pars libri XI., epp. **256—436.** continens, plane opposita certo ordini secundae partis rudem indigestamque molem epp. profert, scopticorum quidem, sed perraro duo eiusdem argumenti epp. coniuncta enumerat. Una series epp. eiusdem argumenti post ep. 332. legitur: 332.[a] (= XI. 118.), 332.[b] (= XI. 119.), 333, 334. in medicos scripta. Praeterea omnia argumenta partis antecedentis, sed disturbata hoc loco reperiuntur. Si ponimus utramque partem ab eodem librario collectam esse, tertia pars apparatus compilatoris esse videtur, quem ordinare aut segnitia commotus noluit aut nequiit, quam ob rem ita, ut erat relictus, additus est. Qua re nobis prospere evenit, quod maiores series vetustiorum coronarum servatae sunt, quae in parte secunda ordine argumentorum dissolutae erant. Diogeniani anthologii in primis series hac perturbatione servatas tenemus, cuius collectionis series alphabeticae in ceteris libris non traduntur. Sunt hae tres series:

---

[1]) Setti, studi critici sulla Antologia Palat. Riv. di filol. 22. (1894) p. 259. sqq.

epp. 388—398. α—π.
epp. 399—413. γ—ω, epp. 417—436 α—ϑ.

Minores series, quas Sakolowski l. l. p. 4. enumerat, aut falsae sunt — ut commemorem epp. 329—333., quod epp. bis scripta omissa sunt — aut minimi pretii, quod tria vel quinque epp. etiam casu alphabetice ordinari possunt; evolve poetas vernaculos, invenies apud Lessingium series novem epp. κατὰ στοιχεῖα incipientium[1]), apud Herderum septem epp.[2]) Occasio hercle perapta in horum quoque poetarum libris ordinis alphabetici investigandi.

Etiam Philippi coronae series alphabetica invenitur hac in parte epp. 318—327. α—τ, quae ep. 323. Palladae interrumpitur.

Composita est autem haec pars libri XI. hoc modo: Initio exstat longa series epp. 256—317., quae praeter multa anonyma sola epp. Lucillii et Palladae permixta aut continua nominibus persaepe permutatis exhibet hoc modo:

epp. 256—259. Lucillii.
— 260—263. ἄδηλα + Palladae.
— 264—266. Lucillii.
— 267—272. ἄδηλα.
— *273*. Palladae vel ἄδηλον.
— 274. Lucillii.
— 275. Apollonii Rhodii.
— 276—279. Lucillii.
— 280—292. [*295*.] Palladae.
— 293—295. Palladae sive Lucillii.
— 296. Timonis.
— 297—298. ἄδηλα.
— 299—307. Palladae.
— 308—316. Lucillii.
— 316.[a, b] Palladae.
— 317—327. Philippi coronae series alphabetica.
— 328—333. fortasse Diogen. anthol. series.
— 334—339. ἄδηλα (ep. 338. Stratonis Stadtmueller coni.)
— 340—345. ἄδηλα et Palladae epp. permixta.
— 346—348. fragmentum Philippi coronae.
— 349—354. Palladae et Agathiae epp. permixta, duo ex tribus Agathiae epp. in Pl. ἄδηλα sunt.
— 355—360.[a] ἄδηλα et Palladae permixta.

Epp. 361. et 364. Philippi, epp. 361.[a], 362, 363. Meleagri coronae esse videntur, quae Meleagrea esse ne Sakolowski quidem negare potest.

---

1) Lessingii Ges. Werke, ed. Karl Lachmann. 1. Bd. Sinnged. 87—92. 96—100.

2) Herder, Zerstreute Blaetter, vol. 26. epp. 25—31.

365—382. altera est series Agathiae Cycli, in qua epp. Palladae inveniuntur:

371. Palladae P., n. l. Pl.

372. Ἀγαθίου Σχολ. P., τοῦ αὐτοῦ [sc. Λουκιλλ.] Pl.

373. Παλλαδᾶ.

At si Pl. in ep. 372. maiorem fidem habes, concedis Cycli seriem alia serie Palladae et Lucillii epp. interruptam esse.[1])

Praeterea Palladae sunt epp. 377, 378, 381., quae Palladam esse Cycli affirmarent. Sed videmus in hac ipsa parte singulas syllogas sic perturbatas esse, ut hac ex re nihil efficere possimus; nam hac in parte cum Diogeniani anthologio epp. Palladae coniuncta esse, immo vero in seriem alphabeticam Philippi coronae dispersa esse videmus; hac enim in parte, ubi epp. Palladae praecedunt et sequuntur, non est mirum, quod utraque collectio permiscetur. Sequitur mera series epp. Palladae, pleraque in Pl. ἄδηλα 383—387. Post ea sequuntur series alphabeticae anth. Diog. iam commemoratae (epp. 388—413.) et in fine 417—436. Inter has tria inserta sunt epp:

414. Hedyli, quod spurium esse Knaack demonstravit; cf. p. 52.

415. Ἀντιπάτρου ἢ Νικάρχου, Jacobsio et Stadtmuellero explicantibus Nicarcho tribuendum est.

416. ἄδηλον.

Finem huius libri duae appendices adiunctae faciunt:

I. Vestustior appendix ab eodem scriba B., qui totum librum XI. exaravit, scriptus continet epp.:

437. Ἀράτου, non scopticum, quod iam Huschke l. l. animadvertit, haud dubie genuinum, quod quamquam est fragmentum Meleagri coronae, non est a Sakolowskio commemoratum.

438—441. sunt quattuor senarii in nonnullas gentes Graecas scripti.

II. Appendix altera a scriba Σ^{π} folii explendi causa addita haec epp. profert:

IX. 127.

XI. 255. Παλλαδᾶ.

X. 30.

XI. 294. Λουκιανοῦ.

IX. 51. Πλάτωνος.

IX. 748. Πλάτωνος νεωτέρου.

XI. 442.

Σ^{π} qui omnino id studuit, ut cod. Pal. suppleret, cum non

---

[1]) Vice versa nomina epp. XI. 401. et 402. permutata sunt, quae P. Lucillio, Pl. Agathiae tribuit. Lucillii esse apparet hoc ep. ex ordine alphabetico.

solum foliis vacuis ante cod. assutis collectionem 34 epp. adderet, quae in Pl. sola tribus epp. exceptis, non in P. exstant, sed etiam in fine codicis epp. XV. 41—51. in statuas aurigarum scripta adiungeret, quibus fontibus usus sit, nescimus.[1]) Argumenta epp., quae pronuntiavi, similia non sunt.

Quae omnia, si animis complectimur, non satis valent, ut Palladae epp. in Cyclo Agathiae recepta esse pro certo statuere possimus. Sed sunt quoque causae, quibus id conicere vetemur.

Longas illas meras series epp. Palladae pugnare cum genere colligendi Agathiae iam supra p. 48. notavimus, cum Agathias perpauca epp. eiusdem auctoris coniungere solitus sit. A quo discedunt sola epp. IX. 73—78. Iuliani praefecti Aegypti in Myronis vaccam scripta, quae cum epp. praecedentia et sequentia non sint Agathiae Cycli, non fragmentum longae seriei Cycli, sed seriei epp. in idem artificium factorum sunt, partim *ἄδηλα*, partim diversorum poetarum. Cui simillimam seriem invenimus epp. IX. 713—743. factorum in eandem imaginem, quae aut collectio inscriptionum ex imaginibus ex prototypo et ex typis expressis collectarum, id quod iam Hecker, l. l. p. 163. coniecit, aut sylloge epp. est, quae ean-

---

[1]) Id unum certum mihi esse videtur hanc appendicem item atque appendicem libri IX. ab eodem scriba Σ^{π} additam ex eodem fonte manasse, ex quo sylloge Euphemiana composita est, nisi forte ex ipsa sylloga Euphemiana utraque appendix sumpta est. Confer quaeso has appendices cum illa sylloga:

A. P. IX. 823. = E^{R} ep. 31.
— 824. = — 30.
— 825. = — 32.
— 826. = — 33.
— 827. = — 34.

Deinde appendicem libri XI.:

A. P. IX. 127. = E^{R} ep. 42.
XI. 255. = — 43.
X. 30. deest in E^{R}.
XI. 294. deest in E^{R}, sed XI. 293 = E^{R} ep. 44.
IX. 51. = E^{R} ep. 47.
IX. 748. = E^{R} ep. 48.
XI. 442. deest in E^{R}.

Etiam sylloge a scriba Σ^{π} in foliis ante codicem P. praefixis conscripta necessitudine quadam cum sylloga Euphemiana coniuncta esse videtur:

Σ^{π} ep. 2. = E^{R} ep. 3.
— 3. = — 12.
— 4. = — 22.
— 5. = — 23.
— 6. = — 25.
— 7. = — 26.

Reliquorum epp. pleraque huius syllogae, quoad ex indice ab Hasio haud accurate edito (expressus est in Duebneri ed. anth. Gr. v. I. p. XIV. sqq.) cognoscere possumus, cum in Pl. anthologia sola exstent, codicis P. explendi causa adscripta esse manifestum est.

dem sententiam imitando terunt. Itaque haec quoque epp. IX. 73 —78. vix eiusdem poetae esse puto, sed lemmata *τοῦ αὐτοῦ* ex lemmatis *εἰς τὸ αὐτό* errore scribae mutata esse veri est simile. Cum haec series testis citari non potest in Agathiae compositionem, tum longas epp. Palladae series ab Agathia non collectas esse apparet.

Ex Agathiae prooemio librorum historiarum[1]), e Suidae verbis[2]), e scholio A.P. IV. 3. *συναγωγὴ νέων ἐπιγραμμάτων* elucet Agathiam epp. nullorum nisi aequalium collegisse. Quae C. B. Hasius[3]) primus aliter interpretatus, a Bernhardio[4]), tum a Reitzensteinio[5]), uberius a Sakolowskio l. l. p. 62. refutatus est. Quod Sternbach, Mel. p. 21., existimavit non modo epp. aequalium Agathiae, sed etiam epp. usque ad illam aetatem nondum collecta antiquiorum poetarum in Cyclo recepta esse, Reitzenstein et Sakolowski refellerunt. Antiquissimus poetarum, quos Agathias congessit, Cyrus erat pater Pauli Silentiarii, qui saeculo quinto exeunte floruit. Eundem avum Agathiae sponsae, Paulum Silentiarium igitur socerum Agathiae fuisse Stadtmueller primus enucleavit.[6]) Quam ob affinitatem non est admirandum, quod Cyrus in Cyclo receptus est, nisi forte aequalis maior natu Agathiae fuit. Palladam, quem plus centum annis ante Agathiam floruisse in cap. II. explicavimus, antiquissimus esset poeta Cycli, si receptus esset; sed dubium est, num Palladas in poetis, qui ab Agathia *νεώτεροι καὶ ἀρτιγενεῖς* appellantur, numerari possit. Itaque de causis chronologicis quoque negandum est Palladam inter Cycli poetas fuisse.[7])

Tertiam ad causam accedentes non certo fundamento nitimur, quod proficiscendum est ab epp. V. 70. et 71., quae num Palladae sint, dubium esse supra p. 17. seq. diximus. In sylloga Rufiniana, quam initium libri V. tenere constat, nullum ep. Cycli inesse certum est. Quam syllogam Cephalas si composuisset, mirum esset, quod ille ex Agathiae Cyclo nulla nisi Palladae epp. excerpsisset, quamquam argumenta aliorum poetarum Cycli ad argumentum propositum huius syllogae aptiora sunt. Itaque epp. fortasse Palladae, cum exstiterint in sylloga Rufiniana, Agathiae Cycli esse non possunt.

Quibus rebus perquisitis pro certo demonstrasse nos putamus Palladae epp. abesse ab Agathiae Cyclo.

Ex reliquis syllogis, quas Weigand l. l. enumerat, nulla huc

---

1) corp. hist. Byz. ed. Bonnens. p. 6, 9.

2) s. v. *Ἀγαθίας: κύκλον νέων ἐπιγραμμάτων.*

3) ad Leon. Diac. (corp. hist. Byz. ed. Bonnens.) XI. p. 490.

4) Suidae ed. Bernhardi I, 1. p. 34.

5) Pauly-Wissowa s. v. Agathias.

6) Stadtmueller, Zur griech. Anthol. Festschrift zur Einweihung d. Grossherz. Gymn. z. Heidelberg a. 1894.

7) Weigand Rh. M. 1845. p. 561. antiquissimos poetas Cycli enumerat: Ablabium Illustrem, Eutolmium, Theosebiam, post eos Cyrum. Ex quibus Eutolmium non Cycli esse iam ostendimus.

pertinet, cum epp. aut singulorum argumentorum aut singulorum poetarum contineant. Ut non praetermittam, anthologium Orionis Thebani, quod ortum esse inter Philippi et Agathiae aetatem Passow credidit[1]), non esse ἀνθολόγιον ἐπιγραμμάτων Ritschl demonstravit.[2]) Etiam quod Passow sentit hoc anthologium in codice Varsowiensi servatum esse, nuperrime Foerster refellit.[3])

Quae cum ita sint, tres restant viae, quibus Palladae epp. in anthologiam Palatinam introire potuerint:

aut alia exstitit collectio epp. nobis adhuc nondum nota, in qua Palladae epp. recepta erant, unde Cephalas epp. Palladae in suam syllogam transtulit, aut, collectio epp. Palladae solorum servata Cephalae in manibus erat, aut, quomodo hae viae coniunguntur, Palladas ipse collectionem composuit, in qua sua epp. cum aliorum poetarum epp. permiscuit.

Anthologiam Palatinam iterum perlustrantes rectam viam invenire conemur. Persaepe Palladae epp. coniuncta legimus cum epp. Lucillii seu Luciani, quorum nomina a librariis propter nimiam litterarum similitudinem sescenties quod confusa sunt, aegre ferimus. In plerisque Palladae epp., quorum lemmata varie tradita sunt, lemmata inter horum poetarum nomina variare primo capite vidimus. Congeramus igitur series, in quibus Palladae epp. cum epp. Lucillii seu Luciani coniuncta exhibentur.

1) IX. 119. Palladae.
   — 120. Luciani Samosat.[4])
2) X. 26—43. permixta.
   — 44—63. mera series epp. Palladae.
3) XI. 256—317.
4) XI. 371. Palladae P., n. l. Pl.
   — 372. Agathiae Schol. P., τοῦ αὐτοῦ [sc. Lucillii] Pl.
   — 373. Palladae.[5])

Proximum est, ut inter harum quattuor serierum epp. diiudicemus, quae Lucillii quaeque Luciani sint. Quod viri docti alterum poetam tractantes conati alii alia contenderunt. Nam neque licet Lucianum de tabulis epigrammatographorum eximere, quod epp. nomine eius ornata non digna sint eius ingenio, ut Setti[6]) iubet, neque omnia epp. Luciani nomen prae se ferentia atque alia plura, quae simile quidquam habeant libris Luciani, genuina esse putare, quod faciunt plerique, qui libros Luciani ediderunt, praesertim si

[1]) Opusc. acad. notitia de anthologio Orionis Thebani.
[2]) Opusc. I. p. 528. sqq. de Oro et Orione.
[3]) Rh. M. 1898. p. 547.
[4]) De quo vide Stadtmuellerum B. ph. W. 1895. p. 356.
[5]) Stadtmuelleri coniectura de ep. VII. 307. facta fortasse etiam epp. VII. 306—311.
[6]) Setti, gli epigrammati di Luciano. Riv. di filol. XX. (1892) p. 233. sqq.

consideramus Luciani libros posterioribus temporibus in omnium manibus et oribus versatos esse.

Quibus in anthologiis uterque poeta fuerit, perscrutantes Weigand et Sakolowski demonstraverunt Lucillium esse receptum in Diogeniani anthologio, Lucianum Weigand eidem anthologio tribuit, Sakolowski abiudicat causis non additis, quamquam hoc se demonstrasse dicit p. 8. Nam etiamsi is circa annos 140—150. Diogeniani anthologium editum esse contendit, tamen non demonstravit fieri non potuisse, ut Luciani epp. in anthologio Diogeniani insererentur, cum 20—30 annos circiter natus iam satis multa epp. scribere potuisset, praesertim cum Sakolowski ipse expresse dicat Lucianum fortasse adulescentem haec epp., quae exstant in libro X., conscripsisse l. l. p. 16. Ut paucis verbis absolvam, inter epp. Luciani seu Lucillii inscripta duo genera discerni possunt, quae inter se alienissima sunt argumentis et indole. Unius poetae esse epp. irrisoria libri XI. in homines nominibus appellatos scripta liquet, a quibus valde abhorrent epp. sententiosa libri X. Sed quoniam ne unum quidem ep. anthologii Diogeniani in libro X. reperitur, apparet haec epp. non eiusdem poetae esse, qui epp. in seriebus alphabeticis anthologii Diogeniani libri XI. inserta scripsit. Cum Lucillius in nonnullis epp. scopticis epp. libri XI. similibus se ipsum nomine appellet, non est dubium, quin epp., quae in seriebus alphabeticis exstant, Lucillio, epp. libri X. Luciano tribuenda sint. Praeterea quod nullum ep. anthologii Diogeniani locum habet in libro X., sequitur auctorem epp., Lucianum igitur non fuisse inter poetas Diogenianeos. His rebus intellectis de nonnullis epp., quae sunt in seriebus anth. Diog., iudicium ferre possumus, ex quibus satis multas res lucramur, quibus ad alia quoque epp. dubia diiudicanda accedere possimus, quae locis, ubi exstant, non indicant, utrius poetae sint. In primis permulta nomina, quae Lucillius eadem diversis hominibus, quos irridet, indit, nobis epp. diiudicantibus auxilio veniunt. Quas ansas tenentes seriem libri XI. iam commemoratam (epp. XI. 256—317.) perlustremus:

ep. XI. 257. nomen Hermogenis iterum legitur XI. 89, 131, 190, 114, Diophanti 103, 245, 404.
ep. XI. 258. Auli: 10, 164, 172, 176, 205, 210.
— — 259. Erasistrati: 83, 212, 402.
— — 265. Gaii: 72, 100.
— — 268. Procli: 99.[1])

Epp. 276, 277. Marci: 85, 90, 93, 94, 113, 135, 143, 194, 312. Omitto argumenta esse consimillima, quod omnes primo obtutu perspicient. Itaque haec epp. huius seriei, de qua agimus, Lucillio tribuenda sunt:

[1]) Unde apparet Pl. non recte hoc ep. Ammiano tribuere.

XI. 256—259, 264—268, 276—278, (279), 308—316.

Ep. 269. scriptum esse potest a nullo nisi a Luciano vel ab alio poeta, qui non est anthol. Diog., si modo Boissonade recte conicit hoc ep. ad imperatorem Lucium Aurelium Commodum pertinens post annum 192., quo hic imperator mortuus est, factum esse. Recentioribus temporibus, certo post Palladam, epp. quae sequuntur, 270. et 271. facta sunt in imperatorem Anastasium (491—518). Cum vestigia Cycli Agathiae hic investigare non possimus, veri est simile haec epp. ex collectione Agathia recentiore sumpta esse, fortasse compilator ea transtulit ex inscriptionum sylloga vel ex florilegio epp. ex libris collecto, cum haec epp. Lydus, de magistr. III, 46. laudet.

Si Lollianus loquax, qui ep. 274. illuditur, idem est ac sophistes Lollianus a Philostrato[1]) commemoratus, fieri non potest, ut hoc ep. a Lucillio scriptum sit.

Ep. 275. in P. Apollonio Grammatico, Callimachi discipulo et postea inimico[2]) tributum quod hoc loco insertum est, multum habet offensionis, cum Meleagri coronae, cui propter tempus, quo est scriptum, vindicandum est, hic non sit vestigium, quam ob rem Sakolowski l. l. p. 51. Apollonii Rhodii esse negat. Sed cum locus solus, quo exstat ep., non satis valeat, ut persuasum habeamus hoc ep. esse spurium, cum Knaackio[3]) et Susemihlo[4]) Apollonio Rhodio servamus. Tamen si mecum facies, concedendum tibi est hoc ep. aut arbitrio compilatoris, ut saepe fit, hic insertum esse aut ex sylloga epp. ex libris collectorum esse ereptum.

Fragmentis anthologii Diogeniani exemptis hae restant series:

1) XI. 260. ἄδηλον.
   261. „ Stadtmueller: Palladae.
   262. „
   263. Palladae.
2) XI. 272. ἄδηλον.
   273. „ Pl. Palladae.
   274. Luciani.
   (275. Apollonii Grammat. P., αδηλον Pl.)
3) XI. 279. Lucillii, potius Palladae cf. p. 13.
   280. Palladae.
   281. „ P., Lucillii Pl.
   282. „ P., τοῦ αὐτοῖ Pl.

---

1) Philostr. vit. soph. I, 23, p. 526.
2) Quod Jurenka (Progr. d. Staats-Obergymn. Wien-Neustadt 1884/5) de recentiore quodam Apollonio grammatico sentit, iam Knaack refutavit B. ph. W. 1886. p. 876. Item Sakolowski l. l. p. 51. recentiorem Apollonium fuisse coniecit, Jurenkae librum non inspiciens.
3) Praeter l. l. W. f. kl. Ph. 1895. p. 1000, J. J. 1891. (143) p. 771.
4) Alex. Litt. Gesch. I. 351. adn. 18.

282ᵃ—292. Palladae.
293. Palladae P., Lucillii Pl.; cf. p. 14. potius Lucillii.
294. Lucillii.
295. Lucilli P., Palladae Pl.
296. Timonis, ex Diogene Laertio sumptum.
297—298. *ἄδηλον.*
299—307. Palladae.

4) XI. 316a. et b. Palladae.
317. Palladae.

Ep. XI. 372. quartae seriei, quam enumeravi p. 61., num Agathiae, Luciani, Lucillii sit, diiudicare non possumus.

Epp. libri X. eis de causis, quas commemoravimus, Luciano tribuenda esse omnes Settio excepto probaverunt. Engel, quod epp. 35. et 36. Pseudolucianea esse putat, non satis validis argumentis firmat l. l. p. 10.

Invenimus igitur tres series, in quibus epp. Palladae cum epp. Luciani coniuncta sunt:

1) IX. 119—120.
2) X. 26—43.
3) XI. 272—274.,

unam, in quae cum epp. Lucillii: XI. 279—296., quam valde a librariis disturbatam fuisse supra ostendimus. Facile hic coniecerit quispiam Luciani et Palladae epp. ab initio coniuncta fuisse et ab eo, qui libros IX. X. XI. congessit, coniuncta ex vetustiore collectione sumpta esse. Quod affirmari videtur additamento scholii ad ep. VII. 339. adpicti *μήποτε δὲ Λουκιανοῦ,* quae verba primo obtutu a librario quodam indiligenter iudicante scholiastarum more addita esse videbantur. Accedit, quod ter Palladae epp. cum Eutolmii epp. coniuncta legimus. Quibus ex causis haud veri dissimile esse videtur epp. Palladae cum aliorum poetarum, Eutolmii et Luciani epp. propria in sylloga coniuncta fuisse.[1])

Praeterea id unum notandum est epp. Palladae persaepe cum epp. anonymis coniuncta tradi. Quod ut ipse intellegas, inspice has series:

1) VII. 681—688. Palladae.
689—691. *ἄδηλα.*[2])

2) IX. 47. et 48. *ἄδηλα.*
49. fortasse Palladae, cf. p. 16.
50. Mimnermi, ex sententiis Theognideis ereptum, ut saepius in Palladae epp. seriebus.

---

[1]) Unde sequitur quartum quoque ep. in P. Eutolmio adscriptum fragmentum huius syllogae esse, quod in P. *ἄδηλον* est; exstat in P. in serie ex omnibus fere coronis congesta, quam ob rem nihil confert ad propositam quaestionem persolvendam.

[2]) Accedit VII. 306. *ἀδεσπ.* — *307.* Palladae coni. Stadtmueller. — 308. Luciani. — 309. *ἀδεσπ.* — 310. *ἀδέσπ.*

3) IX. 118. ex Theognideis sent. cf. p. 10.
119. Palladae.
120. ἀδέσποτον, Stadtmuellero demonstrante B. ph. W. 1895. p. 356. genuinum Luciani Samos.
121. et 122. ἄδηλα.
[123.] ἰσόψηφον, fortasse Leonidae Alexandrini, qui cuius coronae fuerit, nondum explanatum est. Neque tamen mihi eiusdem syllogae esse videtur ac Palladas.
124—128. ἄδηλα.
129. ἄδηλον P., a Pl. Nestori tributum, de quo infra dicendum erit.
130—133. ἄδηλα.
134/5. fortasse Palladae, cf. p. 16.

4) IX. 165—176. Palladae.
177. ἀδ. Tum interrumpitur haec series duobus epp. aliarum anthologiarum: ep. 178. Antiphil. Byz. Philippi coronae, ep. 179. Leonidae, fortasse Alexandr., cum ἰσόψηφον esse videatur, quamquam numeri non quadrant, cf. Sakolowski l. l. p. 55.
180—183. Palladae.
184—185. ἄδηλα.

5) IX. 364. Nestoris Laradensis; est fortasse fragmentum libri metamorphoseon poetae epici, cui est hoc nomen. Floruit sub imperatore Alexandro Severo. Eodem nomine ornatum ep. nomine gentilicio omisso iam in tertia serie invenimus IX. 129.
365. Juliani imperatoris, quod lemma, num recte traditum sit, Duebner iniuria dubitat. Aetate Juliani firmatur fieri potuisse, ut epp. imperatoris in sylloga a Pallada collecta reciperentur. Reliqua quoque Juliani epp. non obsistunt, ep. XI. 108. exstat in parte in capita divisa, in qua ordo veterum anthologiarum dissolutus est. XVI. 115. in P. omissum est; de ep. XI. 368. vide infra.
366. ἄδηλον.
367. Luciani Samosat., quod Sakolowski l. l. p. 11. rectius Juliano tribuendum esse censet, Stadtmueller B. ph. W. 1895. p. 356. sqq. Luciani esse demonstravit.
368. Juliani imperatoris, cf. ep. 365.
369. Cyrilli, cuius nullum ep. alibi exstat. Quod nomen illis temporibus erat tam usitatum, ut ex multis Cyrillis nobis notis poetam eruere non possimus, quod iam Jacobs poet. catal. intellexit.
370. Tiberii Illustris, de quo nihil scimus. Ep. eiusdem poetae IX. 2. non repugnat.
371. ἄδηλον P., Tiberii Illustr. Pl.

372—376. ἄδηλα.
377. Palladae.
378—379. fortasse Palladae.
380. ἄδηλον.

6) IX. 498—500. ἄδηλα.
501. ἄδηλον P., Palladae Pl., tamen epp. 500. et 501. lemmata aut scholion falsum esse supra p. 12. ostendimus.
502. et 503. Palladae.
504. et 505. ἄδηλα. Tum series interrumpitur.
508. ἄδηλον Pl., Palladae P.
509. ἄδηλον ex Herodoti libro.
510. et 511. ἄδηλα, fortasse inscriptiones.
512. ἄδηλον.

7) IX. 527. ἄδηλον ex Herodoti libris.
528. Palladae.
529—536. ἄδηλα.
537. Νέστορος Νικαέως. Quamquam Nestori hoc loco aliud nomen gentilicium inditum est, tamen veri dissimile non est eundum esse atque ep. IX. 364. Quod etiam Jacobs sensit, qui omnia tria epp. Nestoris inscripta uni Nestori Laradensi tribuit.
538—540. ἄδηλα, quorum ultimum fortasse ex Diog. Laert. ereptum.

8) X. 26—29. Luciani.
30. ἄδηλον P., Luciani Pl.
31. Luciani.
32. proverbium, cf. p. 14.
33. ἄδηλον, fortasse aut Luciani aut Palladae, cf. p. 22.
34. Palladae.
35—37. Luciani.
38. Διονυσίου P. et Pl. Quos versus ereptos ex Timonis sillorum l. II.[1]) Athenaeus Timonem in Dionysium Heracl. fecisse narrat. Lemma igitur ipsum errore scriptum testatur hos versus non ex Timonis ipsius libro, sed ex Athenaei libro hic insertos esse, cf. XI. 296.
39. ἄδηλον.
40. ἄδηλον ex Theognideis sententiis.
41. et 42. Luciani.
43. ἄδηλον, est inscriptio cf. Kaibel l. l. 1122.
44—63. Palladae.

9) XI. 54. et 55. Palladae.
56. ἄδηλον, fortasse Palladae cf. p. 22.
Tria epp. ἄδηλα, quae antecedunt huic seriei; epp. 51—53.

---

[1]) ed. Wachsmuth.² frgt. 59. p. 180.

cum his epp. coniungere nolim, quod paederastica sunt, quae omnino plane alienissima sunt huic syllogae. Veri similius esse videtur haec epp. ex collectione paederasticorum epp. inserta esse.

Hic intericiendae sunt quattuor illae series, quas p. 63. iam exaravi, quarum in tertia inter Palladae Lucilliique epp. certo diiudicari non posse vidimus. Inest alterum fragmentum Timonis sillorum, fortasse ex Diogene Laertio sumptum ep. 296.[1])

14) XI. 335—339. ἄδηλα, ex quibus fortasse ep. 338. huc non referendum est propter argumentum. Quam ob rem Stadtmuellero praeeunte l. l. Stratoni potius tribuendum est.
340. et 341. Palladae.
342. ἀδέσπ.
343. fortasse Palladae.
344. et 345. ἀδέσπ. cf. p. 22.

15) XI. 355. Palladae.
356. ἀδέσπ.
357. Palladae.
358—360. ἄλλο, ex quibus ep. 359. a Stadtmuellero Palladae ipsi tribuitur, cf. p. 23.

Series consimillima etiam in XV. libro exstat, cuius nonnullas partes iam notavimus. Post ep. XV. 17. enim inserta sunt:

16) (17.[a] = I. 122. quod haud dubie non est nostrae syllogae).
17.[b] = IX. 400. n. l., sed Palladae.
17.[c] = IX. 180. n. l., eiusdem.
18. anonym.
19. cuius argumentum Palladas elegantius tractavit.
19.[a] = X. 87. Palladae.
20. ἄλλο ὁμοίως.
20.[a] = X. 95. Palladae.

Etiamsi concedo non utique omnia epp. harum sedecim serierum, quas enumeravi, in vetustiore sylloga coniuncta fuisse, priusquam in anth. Palatina ita congesta sint, ut nunc servata tenemus, cum non solum de epp. anonymis certi quidquam statuere non possimus, sed etiam multum arbitrio ultimi compilatoris concedendum sit, tamen si consideraveris fieri posse, ut multa epp. Palladae nobis servata nominibus auctoris amissis ἄδηλα tradita sint — nam omnia epp. ἄδηλα, quae Palladae esse viri docti coniecerunt, his in seriebus inveniuntur (cf. e. g. epp. XI. 56. 261. 359.) — si praeterea respexeris Cephalam vel eum, qui libros V.—XI. collegit, fontes suos continuos exhaurire, non alternare solitum esse, si postremo rationem habueris magni numeri serierum, quas contulimus, fore spero, ut facere non possis quin conicias has series

---

[1]) ed Wachsmuth.[2] frgt. 29. p. 127.

non casu hoc modo in anthologia Palatina congestas esse, sed esse fragmenta vetustioris syllogae, in qua Palladae epp. cum epp. aliorum poetarum coniuncta fuerint.

Apparet nimirum haec fragmenta epp. ἀδήλων non tam certo conterminari posse, ut series aliarum anthologiarum, in quibus ordo alphabeticus aut certa auctorum nomina firmas ansas praebent, liquet quoque epp. ἄδηλα, quae haec fragmenta aut incipiunt aut finiunt, ad fragmenta proximarum coronarum referri posse, tamen plurima epp. unius syllogae esse neminem negare puto.

Praeterea syllogam epp. Palladae exstitisse atque per longum tempus servatam esse testatur quoque series libri XV. epp. 17ª—20ª., quam commemoravimus p. 67. Liber XV., quem appendicem recentiorem esse anthologiae Palatinae neque a Cephala compositum esse constat[1]), continet pleraque epp. poetarum, qui post Agathiam floruerunt, nam praeter carmina Anacreontica et figurata unum ep. inest a poeta scriptum, qui est inter coronas nobis notas: ep. 9. Cyri poetae Cycli Agathiae, si modo lemma huius ep. recte traditum aut relatum est.

Eum, qui hunc librum XV. composuit, non ante Cephalam floruisse inde elucere videtur, quod epp. poetarum Cephalae aequalium recepit, cf. ep. 15. Constantini Rhodii. Quem collectorem, cum epp. Palladae exhiberet, syllogam epp. Palladae praesto habuisse apparet.

Eo quoque, quod ep. Append. 1. in sylloga Euphemiana servatur, sed in P. et Pl. omissum est, firmatur syllogam epp. Palladae per longum tempus servatam fuisse.

Affirmantur ea, quae adhuc enucleavimus, scholio ad ep. VII. 339. adscripto. A quo scholio proficiscentes cum viri docti, qui syllogam Palladae fuisse effecerunt (cf. supra p. 47. sqq.) omnium fidem sibi non conciliaverint, quod quid valeat hoc scholion, nondum est explanatum: nunc quoniam scholion omnia, quae aliunde invenimus, probat, ei fidem non esse abrogandam puto.

Priusquam de huius scholii auctoritate iudicium proferre possumus, nobis perscrutandum est, cuius pretii et originis sint scholia ad epp. addita, quod tum demum persolvere poterimus, cum omnia scholia a Stadtmuellero edita erunt atque a quibus quaeque manibus scripta sint, diiudicatum erit.

In universum duo genera scholiorum epp. Graecorum discerni possunt:

I. Scholia quae appellantur Wecheliana, hoc loco praetermitto, quod minimi pretii sunt.[2])

---

[1]) De huius libri compositione egit Weigand. Rh. M. 1847. p. 284.

[2]) Jacobs, proleg. p. CXXIV. laudat codicem bibliothecae senatus Lipsiensis quondam monasterii Ottoburani, in quo scholia Graeca

II) Scholiorum anthol. Pal., quae diversissimae sunt auctoritatis, nonnulla ob eam rem sunt gravissima, quod perpauca, quae de historia illius anthologiae scimus, prodiderunt. Plurima horum scholiorum scripta sunt a scriba L, de quo uberrime omnium Finsler l. l. p. 142. sqq. verba fecit.[1]) Duo genera scholiorum inter se diversissima composuit:

a) ad permulta epp. lemmata argumentorum adscripsit, quam ob rem lemmatista nominatur, quae indiligentissime et neglegentissime ex epp. ipse nullo fonte adhibito eruerat persaepe sensum epp. non perspiciens, quod Finsler multis exemplis demonstravit.

b) At quod adfert etiam scholia gravissima, quae ut ex epp. ipsis hausta sint, fieri non potest, intellegere possumus scribam L, cum non sit veri simile eum ipsum, qua erat negligentia, alios libros evolvisse, vetustiorem codicem melioris fidei excerpsisse, in quo haec scholia collecta erant. Pertinent hae notae in primis ad historiam litterarum et sunt procul dubio bona grana inter paleas vilium lemmatum et scholiorum et exoptata residua vetustiorum fontium maximae auctoritatis usque ad Byzantiorum aeva servata. Quas notas manasse ex fontibus Cephala antiquioribus Flach quoque demonstravit.[2]) Itaque his scholiis, simodo aliae res gravissimae non obsistunt, fides non est abroganda.

Huius generis est scholion ep. VII. 339., quod iam supra p. 19. exaravimus.[3]) Ex verbis πλὴν ὅτι ἐν τοῖς τοῦ Παλλαδᾶ ἐπιγράμμασιν εὑρέθη κείμενον elucet scribae L aut ei, quem ille exscripsit, syllogam epp. Palladae notam fuisse, quem omnino certiora de epp. Palladae scire vidimus, cf. lemmata epp. V. 70 et 71. p. 17. seq. Qua re quod coniecimus syllogam Palladanam exstitisse, demonstratum est. Praeterea quoniam non est veri simile scribam L alios fontes adhibuisse vel inspexisse, et quoniam Finsler l. l. p. 157. explicavit eundem scribam haud dubie vetustiorem codicem anthologiae Cephalanae exscripsisse, fieri non potest, quin censeamus Cephalam ipsum hoc scholion composuisse, itaque syllogam Palladanam in manibus tenuisse. Verba τὰ τοῦ Παλλαδᾶ ἐπιγράμματα primo obtutu nihil significant nisi collectionem epp. Palladae unius. At cum primum deliberaveris ceteras fere omnes anthologias epp. nominibus eorum appellari, qui eas et composuerunt et plurima

---

auctiora legantur. Quem investigans inveni editionem principem Florentinam a. 1494. (Pl[1]) quondam monasterii Ottoburani, cuius in prioribus foliis scholia recentiore manu atramento ad singula epp. adscripta sunt, quae paulatim tabescunt et rarescunt. Quae scholia verbo tenus consentire cum scholiis Wechelianis vidi praeter pauca verba discrepantia.

[1]) Significatur C a Finslero. De quo praeterea Stadtmueller, ed. praef. p. VI. et in not. ad. Weisshaeupl „Grabgedichte". p. 107. verba fecit.

[2]) Flach in ed. Hesychii Onomat. praef. p. XVII.

[3]) Quo modo scriptum sit ligaturis et rasuris, Stadtmueller ed. praef. p. XIX. accurate notat.

epp. contulerunt, cf. e. g. coronas Meleagri, Philippi, Agathiae, non negabis his verbis concedi aliorum quoque poetarum epp. hac in collectione recepta esse. Immo vero quod librarius verbose et accurate contra consuetudinem fontem, ubi hoc ep. invenerit, indicat, suadere videtur hanc collectionem non epp. Palladae solius comprehendisse, nam Cephalas aut is, qui hoc scholion fecit, si hoc ep. in mera sylloga epp. Palladae invenisset, modo *Παλλαδᾶ* scripsisset ita ut ad reliqua epp. omnia; sed eo quod tam copiose fontem notavit, librarius significare voluit hoc loco de aliis quoque poetis cogitari posse, certum saltem non esse, utrum hoc ep. Palladae esset necne.

Accedit quod ad hoc scholion haec verba addita sunt: *μήποτε δὲ λουκιανοῦ* ⌈*ἐστιν*⌉ „fortasse Luciani est". Si pro certo ponere possimus haec verba ab eodem addita esse, a quo verba, quae praecedunt, ea quae coniecimus Palladam non solum sua ipsius sed etiam aliorum poetarum epp. in primis Luciani collegisse hac in sylloga, egregie demonstrata sint. At haec verba etiam a recentiore quodam librario addita esse possunt, qui hoc ep. impium, cum a quo factum esset, certo non notatum esse legeret, Luciano, qui recentioribus hominibus Christianis impius habebatur *κατ᾽ἐξοχήν*, tribuit. Itaque ex his verbis plura efficere non licet, priusquam quanta fides eis habenda sit, explicatum est.

Inspiciamus nunc, quo loco exstet ep., de quo agimus. Epp. VII. 327—343. *ἀδήλων* pleraque ex lapidibus exscripta esse in primis inde apparet, quod quibus locis inventa sint, expresse adscriptum est; collecta esse a Gregorio Magistro, cui est cognomen *ὁ Μακαρίτης ὁ Καμψικός*, scholia epp. 327. et 334. testantur.[1]) Qui erat praeceptor Constantini Cephalae, sub quo Cephalas ipse in schola *τῆς νέας ἐκκλησίας* Cpoli docuit. Cuius syllogam epp. ex lapidibus collectorum Cephalas anthologiam suam componens exscripsit, id quod schol. epp. VII. 327. et 334. expresse traditur.[2]) Series igitur epp. VII. 327—343., quam commemoravimus, ex Gregorii sylloga sumpta est, ex qua alia quoque epp. in VII. et IX. libros anthologiae Palat. manasse Hecker l. l. ostendit. Fieri non posse perspicuum est, quin omnia horum epp. scholia cum locis commemoratis iam in Gregorii anthologia fuerint. Ep. 341. quoque Gregorium, si modo in sua anthologia ipse recepit, ex lapide ipso exscripsisse veri similius est quam ex Marini libro, quo Procli vita describitur.[3])

Duobus modis ep., de quo verba facimus, in anthologiam Palatinam pervenire potuit: aut Gregorius ipse ex Palladae sylloga

---

[1]) cf. schol. ep. VII. 429, de quo Wolters tractavit: De epp. Gr. Anthol. lib. Diss. Hal. 1882. p. 10. sqq.

[2]) cf. Hecker. l. l. p. 166.

[3]) In appendice Boissonadii editionis Diog. Laert. p. 169. c. 36.

sumpsit hoc ep. et hic inseruit, id quod firmatur et verboso scholio, quo ubi hoc ep. inventum sit, notatur, et loco ipso, quo exstat ep., aut Cephalas in hanc seriem Gregorii ex libidine inseruit hoc ep. ex alio fonte, i. e. ex Palladae sylloga, quod omnino pugnat cum Cephalae genere colligendi. Si quis dicat exempla licentiae Cephalae interdum inveniri, consideret Cephalae hoc loco causam inserendi defuisse, cum epp. antecedentia et sequentia plane nihil habeant simile ep. VII. 339. Quos modos expendentibus nobis priori maiore cum iure assentiendum est. Quae si ita sint, ab eodem Gregorio scholion, quod laudavimus, scriptum sit, a quo scholia vicinorum epp. Qua re demonstratum esse putamus syllogam Palladae servatam fuisse usque ad aetatem Gregorii, qui erat Cephalae aequalis maior natu. Sin autem hoc ep. non in Gregorii collectione receptum esse censeas, hoc ep. a nullo nisi a Cephala ipso hoc loco inseri potuit, nam neminem esse puto, qui inter Gregorium et Cephalam tertium fuisse compilatorem arbitretur. Utut res se habet, syllogam Palladae usque ad Gregorii aetatem quidem servatam fuisse pro certo statuere possumus.

Sed haec hactenus: complectamur, quae demonstrasse nobis videmur: exstitit certo sylloge epp. Palladae, quae plera; que recepta sunt in anthol. Palatina, quam nunc tenemus- praeterea veri est simillimum hanc Palladae syllogam etiam aliorum poetarum epp. continuisse, praeter multa *ἄδηλα* epp. Luciani, Eutolmii, Nestoris Laradensis, Tiberii Illustris, Juliani Imperatoris, Cyrilli. Accedunt haud dubie epp. ex aliis scriptoribus collecta, ex Theognideis sententiis, Herodoto, Diogene Laertio, proverbiorum et inscriptionum syllogis.

Quo ordine haec sylloge Palladana composita sit, perspicere non iam possumus.

Restat, ut perpauca addam de epp. anonymis serierum huius syllogae Palladanae, quas enumeravimus. Apparet inter ea esse nonnulla epp., quae nomine auctoris amisso genuina Palladae epp. sunt, quod Stadtmueller iam animadvertit, B. ph. W. 1895. p. 360 sqq. Haec epp. diiudicantes et eo, quod exstant prope Palladae epp., et similitudine argumentorum commovemur, ut Palladae esse coniciamus, quamquam haud ignoramus, quantopere valeant hae coniecturae. Haec autem epp. Palladae ingenium sapere mihi videntur:

ep. IX. 499., quod et sententia acerba de vilitate vitae et verbis oppositis *μὴ φαινόμενος τοὺς φαινομένους ἀφανίζει καὶ μὴ φαινομένους εἰς φανερόν*, et *τελευτὴ ἀόριστος* simillimum est Palladae epp. Eisdem de causis ep. IX. 500. Palladae tribuam.

XI. 260. ep. ante ep. 261., quod iam Stadtmueller Palladae tribuit, ludit poeta verbis *βουλεύειν* et *δουλεύειν* similiter atque ep. XI. 337., quod item exstat in serie Palladana.

Fortasse ep. XI. 342. quoque inter genuina Palladae epp. ducendum est.

Etiam in appendice illa libri X. epp. 104—124., de qua supra p. 51. seq. iam verba fecimus, nonnulla sunt epp., quae Palladae ingenii esse videntur praeter ea, quae iam commemoravimus, ut ep. 105, 111, 113, 115, 116—119. alia plura, sed eis de epp. certum iudicium proferre non possumus, cum parum certo sciamus, a quo et quo modo haec appendix composita sit.

Caput quartum.

De indole et natura Palladae epigrammatum.

Epigrammata Graeca temporum decursu valde mutata esse inter omnes constat, sed adhuc neque satis clare explicatum est neque libro illo Reitzensteinii, qui inscribitur „Epigramm und Skolion", explanatur. Epigrammata Graeca usque ad incunabula persequi longum est: id unum quidem certum est epp. ab anthologia Philippi incipientia auctoritate in primis Romanorum epigrammatariorum, inter eos nobilissimi Martialis, scripta esse, ut libris collecta legerentur. Qua re a significatione inscriptionum, quam a primordiis usurpabant haud dubie, paulatim discedentia ad hodiernam definitionem pervenerunt. Inter Graecos epigrammatistas epp. notionem scopticam in primis Diogeniani anthologii poetae, praecipue Lucillius coluerunt, quamquam vestigia nimirum huius significationis ab antiquissimis temporibus investigari possunt. Sicut comici ab *ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν* descendentes universa prototypa comica fingebant, ita epigrammatographi, qui antea singulos homines invehebantur, amplius progressi iam primo p. C. n. saeculo universa genera irridebant, cum nomina pro hominibus fingerent, qui quaeque genera repraesentarent; evolve e. g. multa illa epp. Lucillii atque eius aequalium *εἰς γραῦς, εἰς μικρούς, εἰς αἰσχρούς, εἰς δρομέας, πύκτας, ἰατρούς, ποιητάς, ῥήτορας, φιλοσόφους, μικρολόγους, κλέπτας, ἀπλήστους, ἀσελγεῖς, πονηρούς, νομικούς* multos alios scripta. Quibus epp. irrisos homines nominibus appellatos esse fictos inde apparet, quod Lucillius idem nomen diversis hominibus indit, quod iam supra notavimus.[1])

---

[1]) Alia de causa Martialem persaepe nomen fingere explicat Friedlaender, ed. Martial. praef. p. 21. sqq.

Quae prototypa ab antecessoribus facta Palladas excepit, ut omnino recentiores epigrammatistae magis ea arte valent, ut sententias ab antiquioribus poetis iam tractatas aliis verbis iterent et mutent, quam ut nova argumenta tractanda sibi proponant. In eis epp. scopticis in homines fictos scriptis, quibus universa genera hominum illuduntur, haec numero Palladae epp.:

XI. 204. in rhetorem Maurum, fortasse ex ep. XVI. 20. Ammiani expressum. — 255. in malum saltatorem, ex ep. XI. 253. Lucillii. — 287. in vetulam. — 288. in tonsorem et sartorem. — 289. et 290. in foeneratorem mortuum. — 304. in loquacem. — 305. et 355. in ignarum. — 306. in meretricem. — 349. in astronomum. — 373. in poetam talis ludentem. — 384. in monachos. — *293.* in avarum.

At in certos homines haec carmina scripta esse videntur:

VII. 681—688. in Gessium. — XI. 280. in Genadium chirurgum. — *IX. 281.* in Magnum iatrosophistam. — 283—285. in Damonicum Chalcidensem. XI. 291. in versificatorem venalem Nicandrum. — 292. in Themistium. — 340. in Panthagathum, quo ep. intellegi potest Palladam re vera certos homines illudere, quod sibi inimicos fecerit.

Sed concedendum est nobis, cum de plerisque hominibus in epp. commemoratis nihil certi sciamus, nimirum aliud ep. in alteram seriem inserendum esse.

Item inter ea epp., quibus Palladas alios poetas antecedentes, in primis poetas Diogeniani anthologii imitatur, epp. numeranda sunt, quae *παρασιτικά* appellaverim, quod Palladas in eis verba facit more parasitorum de conviviis, ad quae invitabatur, aut de cibis et potibus, qui ei domum mittebantur, quod argumentum Martialis quoque non praetermisit. Huc pertinent epp. IX. 176., IX. 377., 484. et 486., 487., XI. 371., 377., 387., *295.*, quo ep. XI. 396. Lucillii imitatur. Praeterea epp. XI. 313. et 314. Lucillii, XI. 413. Ammiani, XI. 325. Automedontis fortasse sunt exempla, quae imitanda sibi proposuerat.

Comparantibus nobis Palladae epp. cum eiusdem generis epp. Lucillii et reliquorum poetarum Diogeniani anthologii illa multo praestantiora esse haud dubie videntur. Palladas enim melius Lucillio perspexit, quid esset proprium epigrammatis, huic poeseos generi sententias suas sollertius adaptare sapit, optime cognitum habet epigrammatis maxime interesse sententias breviter et constricte exprimere. Qua re Palladae epp. multo breviora sunt et propterea acutiora et inexspectatioris acuminis, cum recte cognoverit, quam verum sit, quod Parmenio ep. IX. 342., Cyrillus ep. IX. 369., Martialis multis locis praecipiunt, ne ep. excedat tria disticha. Itaque apud neminem nisi apud Palladam invenimus tot brevia epp., nam ex 123 epp. eius distichis compositis 11 epp.

sola longiora sunt tribus distichis, ex quibus duo sunt scoptica (VII. 683. et IX. 377.), Quibus ex 11 epp. habent

1 ep.	(X. 56.)	novena disticha
1 ep.	(IX. 174.)	sena „
4 epp.	(IX. 165., 377., X. 50., XI. 351.)	quina „
5 epp.	(VII. 683., IX. 173., X. 45., 55., 75.)	quaterna „

Restant igitur 112 epigrammatum 219 disticha, quae hoc modo divisa sunt:

31	epp. ternorum	distichorum
45	„ binorum	„
36	„ singulorum	„

Praeter Leonidam Alexandrinum, qui isopsephia coactus est epp. singulis vel binis distichis determinare, nemo est inter epigrammatarios alicuius auctoritatis, qui brevitati epigrammatis ita indulgeat ut Palladas. In universum omnia epp. recentiorum poetarum ampliora et latiora sunt quam exempla proposita, at Palladas sententias quidem ab aliis tractatas sibi adsciscit, sed expolit et acuit eas. Quam ob rem non est contendendum Palladam imitatum esse ut ceteros epigrammatistas, sed creavit nova artificia suo ipsius ingenio ex argumentis a prioribus poetis acceptis.

Carmina ob certas occasiones, qualia Martialis permulta scripsit, et mandatu facta, qualia plurima Leonidam Tarentinum protulisse coniciunt viri docti, inter Palladae epp. plane nulla inveniuntur. Qua re apparet epp. sepulcralia et dedicatoria desiderari, ut omnino illis temporibus epp. notionem inscriptionum amiserant. Re vera apud recentiores epigrammatographos capita epp., quae etiam Cephalas dividere conatus erat, disiungi non iam possunt, sed eorum epp. sunt sola, in universum si perspicimus, scoptica, epidictica, didactica. Perpauca Palladae epp., quae inter anathematica exhibentur, epp. VI. 60, 61, 85. sunt epp. imitatoria, quam ob rem rectius inter epidictica epp. ducenda sunt. Epitymbia inter Palladae epp. non reperiuntur, cum Palladae epp. VII. libri non ad hunc librum pertinere iam supra explicaverimus.

Nonnulla sympotica secerni possunt XI. 54, 55, 62, *56.*, quorum priora sententiis Anacreonticis nixa cogitationes de vitae vanitate intermiscent.[1])

Inter epp. epica, quae ab aliis plastica appellantur[2]), fortasse epp. IX. 174. et 378. putanda sunt, quorum posterius num sit genuinum, dubium esse supra ostendimus.

Magnae est laudi Palladae, quod epp. erotica, nedum paederastica non scripsit. Voluptatibus amoris Palladas non saepe fructus esse videtur, sed eo magis gravi onere domestico premebatur. Accedit

---

1) cf. Anacreontic. 6. ed. Bergk. P. L. G.4

2) Vogelmamm, Ueber d. griech. Epigr. J. J. 1840, 6. Suppl. p. 410.

quod hoc lascivum genus poeseos alienissimum est a severo eius et moroso animo. Tamen tantum abest, ut obiurgator et censor sit, ut epp. convivalibus, quae enumeravimus, adhortetur, ut vita hilariter fruamur, sed nunquam eum fines moribus et aequitate constitutos transire videmus. Quae ut faceret, non aevo suo impulsus est, e contrario non ita multo antea Strato magnam collectionem epp. paederasticorum ediderat atque multi Cycli poetae post Palladam non pauca epp. obscoena scripserunt. Perraro noster, cum de vanitate vitae et perfidia mulierum verba faciat, res obscoenas attingit. Videmus igitur severos mores Palladam, quos in vita sua servat, etiam in carmina sua intulisse, ut iure ac merito verba illa Martialis I. 4, 8. de se dicere possit hoc modo mutata:

utque proba est nobis pagina, vita proba.

Transeamus nunc ad epp. epidictica, quae fere dimidiam partem omnium Palladae epp. occupant quaeque minus etiam pendent ex epp. priorum poetarum quam scoptica. Sunt quidem huius quoque generis argumenta quaedam, quae epigrammatariis in deliciis erant, quae iterum novis verbis retractabantur; nam constat inter omnes nullius alius poeseos generis poetas magis imitari, nusquam illud Ovidianum poetas quamvis non ingenio, arte valere magis probari quam ab epigrammatographis. Cuius generis argumenta Palladas quoque non praetermisit, e. g. ep. IX. 397. de Lacedaemonia muliere et filio scriptum est, quod argumentum primum a Damageto (VII. 231.) et Dioscoride (VII. 229.) tractatum, a Tymne (VII. 433.) mutatum, ab Antipatro Thessalonicensi poeta coronae Philippi exceptum (VII. 531.), ab Erycio Cyziceno (VII. 230.) iteratum est.[1]) Temporum ordinem secutis nobis Palladas huc inserendus est, post quem Cycli ep. IX. 447. Juliani Aegyptii retractatur hoc argumentum; ep. IX. 61. *αδέσποτ.*, cuius anthologiae sit, nescimus.

Epp. in homines victum depastos in omnibus fere coronis inveniuntur, quod argumentum Palladas bis tractavit: ep. VII. 607. in Psyllam anum et ep. XI. 357. in patrem et filium aeque decoctores. Etiam thalamum corruentem sponsum sponsamque interficere, id quod Palladas ep. VII. 610. tractavit, alii epigrammatistae commemoraverunt cf. epp. VII. 298. XV. 19. VII. 572.

Argumentum epp. IX. 5. et 6. fortasse e Cyllenii ep. IX. 4. acceptum est.

Plerisque epp. epidicticorum Palladas sortem et uxorem suam lamentatur, quibus argumentis non ab aliis poetis acceptis, sed suo ipsius ingenio inventis novum se praestitit; utrumque onus sibi impositum et vitam et uxorem comparans sive parodia sive verborum lusibus usus sive amare questus sive naso invectus novum induxit

---

[1]) Uter Eryciorum, quos Jacobs cat. poet. diiudicat, hoc ep. scripserit, non liquet.

argumentum in epp., quo quantopere valeat ingenio, nobis indicat.

Id unum fortasse aliquid offensionis habeat, quod Palladas idem argumentum toties iterat. Quod opprobrium nonne idem tribuendum est praeclarissimo omnium epigrammatographorum Martiali, nonne Palladae idem vindicare possumus, quo ille se defendit (VII. 85, 3.):

Facile est epigrammata belle
Scribere, sed librum scribere difficile est.

Unum accedit, quo venustas epp. Palladae augetur: persaepe Palladas verbis ludit et, quod ei rei consimillimum est, versus, in primis Homeri parodice perstringit. Quod iam Lucillium (cf. e. g. epp. XI. 400. 401.), immo vero antiquiores epigrammatographos fecisse videmus, etiam verbis ludi omnibus temporibus cognovimus; at excoluit et quam maxime adhibuit Palladas primus ad ep. acuendum annominationem et parodiam, quod ei summae laudi tribuendum est, cum his rebus fines epp. propagaverit. Si nonnulli lusuum verborum nobis nimis frigidi et arcessiti et infaceti esse videantur, nobis et tempora Palladae respicienda sunt, quibus sal ingenii Graecorum dilapsum erat, et ars poetae, qui ut erat grammaticus, istis lusibus grammaticis delectari potuit. Quid? Martialis epp. num sunt omnia peraeque bona? An hic ipse non concessit inter carmina sua esse quaedam mediocria, plura mala (I. 16.)?

Didactica quoque epp. a Pallada primo exculta sunt, quamquam antiquiorum poetarum nonnulli, in primis Lucianus, talia scripserant, quae his temporibus magis etiam conveniunt, cum et religione Christiana et copia gnomarum Orientis populorum late diffusa libri sententiarum pleni in deliciis fuerint. Quam ob causam didactica epp. maximam partem continent epp. Palladae, quae iterum maiorem partem libri X. anth. Pal. occupare ostendimus, quo epp. sententiosa collecta sunt. Palladae epp. perlustrantes inter epp. et gnomas secernere non possumus, quae antiquiores poetae nondum permiscebant.[1])

Quod inter epp. sententiosa Palladae multa consimillima invenimus sententiarum syllogis Graecorum nobis servatis, non admiramur propter argumentorum similitudinem, quamquam non semper Palladam illas syllogas exscripsisse nobis putandum est.

Quibus ex syllogis in primis sententiae Theognideae huc pertinent, quas propter sententiosa argumenta ad pueros docendos adhibitas esse, saltem priorem partem earum constat. Palladam quoque eas in manibus habuisse ut erat magister, earumque epp. sua scribentem meminisse veri est simillimum. Fortasse ipse eripuit

---

[1]) De eorum discrimine egit Haenel, de ep. Gr. hist. spec. I. Progr. Elisabeth Gymn. Vratisl. 1852. cap. 4. Lessing quoque disiungit Epigramm et Sinngedicht, quorum hoc omnino non in epp. numerat, Anmerk. über d. Epigr. Ges. Werke (Goeschen) VI. p. 213. sqq.

haec epp. ex illa sylloga: epp. X. 40. (= Theog. 1151/2.) X. 113. (= Theog. 1155/6.) fortasse X. 118. quoque (= Theog. 527/8). Praeterea permulta si non eadem, at tamen simillima sunt Theognidearum sententiarum et Palladae epp., quorum notabilissima commemoro: id quod Theog. sent. v. 91. sqq. aliis versibus de malo amico dicitur, Palladas sibi adscivit epp. X. 95. X. *121.*, nisi forte epp. X. 56. et XI. 390. imitatur. Persaepe Theog. sent. *μετριότης* commendatur, cf. Theog. v. 145. cum epp. X. 93, 51, Theog. v. 1155. cum ep. X. 44, Theog. v. 523. sqq. cum epp. X. 93, 99, XI. 290, 302. Theog. v. 315. sqq. v. 683. sqq. cum ep. X. 62. aliis, compara sententiam *μηδὲν ἄγαν* Theog. v. 219, 335, 401, 657, cum epp. VII. 683. aliis, de vita post mortem Theog. v. 877 (= 1070[b]) cum epp. X. 45. *VII. 339. X. 118.*

Stobaei florilegii quoque nonnulla capita nimirum multa habere simillima sententiosis epp. Palladae — capp. VI. et VII., ut alia praetermittam — apparet, cum hoc quoque florilegio sententiae congestae sint; sed Stobaeum ne una quidem epp. anthologiarum nobis notarum usum esse supra explicavimus.

Inter *γνώμας μονοστίχους* quoque, quae Menandri nomen prae se ferunt, duo versus Palladae inveniuntur, ep. XI. 286. v. 1. et v. 2 hoc loco disiuncti v. v. 413. et 133. Quos in anth. Pal. priorem ordinem servare apparet, cum et unius ep. sint et in gnomarum sylloga propter ordinem alphabeticum dispositi sint, quod iam Guilelmus Meyer iure contendit.[1]) Quae collectio *γνωμῶν μονοστίχων* quibus temporibus composita sit, quamquam adhuc nondum satis certum est, tamen cum undecimo demum saeculo primum laudetur[2]) et cum eam hoc modo, quo nos tenemus, recentioribus temporibus interpolatam ex Byzantiorum more conformatam esse eluceat — omnes enim versus in duodecim syllabas redacti sunt, cf. Meyer l. l. — magna cum fiducia nobis coniciendum est Palladae ep. fuisse fontem, ex quo hi versus in illam collectionem manarent. Etiam multa similia reperiri possunt et in epp. Palladae et in gnomarum sylloga, quae inter se cohaerere est negandum, cum utraque sylloga eiusdem sit argumenti.

Palladas cum in epp. epidicticis verborum lusibus, tum in epp. didacticis proverbiis ad epp. amoenitatem augendam toties utitur, quoties nullum alium epigrammatarium usum esse invenimus. De nonnullis epp. proverbiis, quae inter Palladae epp. inserta erant, iam supra p. 14. seq. nobis verba facienda erant. Fere omnia proverbia a Pallada laudata reperiuntur in syllogis paroemiorum nobis servatis; sunt nimirum Pallada antiquiora, quod eo quoque apparet, quod ea inducit proverbia verbis *ὡς παροιμιακόν* ep. X. 48.,

---

[1]) Die Urbinatische Sammlung von Spruchversen des Menander, Eurip. u. A. Abhandl. der bayr. Acad. d. W. XV. (1879) p. 397.

[2]) cf. Walz. Rhet. Gr. II. p. 294. Meyer. l. l.

φασὶ παροιμιακῶς IX. 379., *φησὶ* vel similibus X. 55. VII. 683. X. 49.

Sed sunt loci in proverbiorum collectionibus, quos forma quidem interpolatos esse ex Palladae epp. apertum est. Optime intellegi potest ep. X. 95. transmigrasse in Zenobii collectionem, in cuius lib. II. 23. s. v. *διπλοῦς ἀνήρ* hoc ep. additur his verbis: *ὅθεν ἐπίγραμμα μισῶ κ. τ. λ.* Quod proverbium quo modo antea declaratum sit, ex Hesychii lex. s. v. *διπλοῦς ἄνδρας* cognoscimus, ubi ep. nondum adscriptum est. Item v. 6. ep. IX. 441. ab Apostolio (IX. 24.[c]) ex Palladae ep. sumptum est, cum ex sententiarum connexu ereptum apud Apostolium integrum sensum non praebeat. Proverbium nimirum *χαιρῷ δουλεύειν* multo antiquius est.[1])

Deinde distichon Apost. VI. 67.[b] ex Palladae ep. X. 34. fluxisse liquet.

Etiam verba Apostolii V. 41.[e] e Palladae ep. X. 58. sumpta esse et in alias paroemiorum collectiones transmigrasse videntur, e. g. in Antonii syllogam, quae *μέλισσαι* vocatur (229. prov.) et in Gnomologicon Joannis Georgidae.[2]) Quibus in syllogis lemmate *Λουκιανοῦ* addito significatur hos versus non esse proprium proverbium, sed ex scriptoris cuiusdam libro sumptos, quamquam haud dubie auctoritatem lemmatum P. et Pl. anteponimus illarum collectionum, cf. p. 8.

Praeterea haec proverbia in Palladae epp. invenimus: *μηδὲν ἄγαν* VII. 683, 1 = Apost. XIV. 30., de quo qui scripserint, Leutzsch et Schneidewin, Paroem. II. 80 - 82. notant.

κἂν ὗς δάκοι ἄνδρα πονηρόν IX. 379 = Apost. IX. 35, Diog. V. 87. aliorum, sed omnibus locis *κἂν αἴξ δάκοι κ. τ. λ.* scriptum est, quam ob rem etiam in hoc ep. pro *ὗς* quod habet offensionem, fortasse *αἴξ* scribendum est.

κρότωνος ὑγιέστερος IX. 503, 4 cf. Suidam s. v. *κρότωνος ὑγ.* et schol. Wechel. huius ep.

κρητίζειν XI. 371, 4 = Zenob. IV. 62, sed iam antea usurpatum, cf. Jacobs. comm. ad. Pallad. ep. XXVII.

Idem proverbii *χαλκιδίζειν* ep. XI. 383, 5 = Diogen. epit. III. 93. meminisse videtur, cf. Hesychium, Suidam s. hac voce.

Ep. X. 49. commemorat proverbium schol. ad Aristoph. Vesp. 352. laudatum: *ἔνεστι κἀν μύρμηκι κἀν σέρφῳ χολή*, quod etiam in paroemiorum syllogas migravit. cf. Zenob. III. 70. aliasque.

Proverbialiter utitur etiam Homeri verbis Od. XIX. 162. *οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης* ep. X. 55., sed. diverso sensu atque Homerus. Quae verba recepta sunt in proverbiorum collectione Macarii III, 40., ubi notatum est, quibus locis praeterea reperiantur.

---

[1]) Iam a Menandro laudatur, cf. Menandri frgt. ed. Meinekii.

[2]) ed. Boissonade, Anecd. Gr. I. p. 22.

Sententiae quoque πλοῦς σφαλερὸς τὸ ζῆν ep. X. 65. σκηνὴ πᾶς ὁ βίος καὶ παίγνιον ep. X. 72., quas Palladas persaepe trivit (cf. X. 80. alia multa) apud multos alios scriptores reperiuntur, quos Jacobs, comm. huius ep. enumerat[1]), ep. X. 73. similia invenimus iam apud Sophoclem, Lucianum alios multos, item X. 45., quod postremus Joannes Georgides I. p. 76. mutat: πηλὸς ἔσμεν ἅπαντες ἄνθρωποι κ. τ. λ.

Gnome quoque λάθε βιώσας ep. Palladae XV. 20., γνῶθι σεαυτόν ep. XI. 349. excepta est; versus Hipponactis[2]) a Pallada ep. XI. 381. mutati in collectione proverbiorum recepti sunt Apost. VI. 38^c cum nomine auctoris.

Haec sunt proverbia a Pallada in epp. suis adhibita, quae et in paroemiorum syllogis nobis servatis et ab antiquioribus scriptoribus commemorantur. Novum proverbium lucramur ex Palladae ep. X. 48., quod adhuc nondum in proverbiis numeratum est:

Μήποτε δουλεύσασα γυνὴ δέσποινα γένοιτο,

ἐστὶ παροιμιακόν.

Restat ut perscrutemur, qua necessitudine Palladas cum Romanis epigrammatographis coniunctus sit. Cum Martiale nihil nisi vulgares sententiae Palladae communes sunt, quae omnibus epigrammatariis in deliciis erant, cf. Martialis ep. I. 15. cum Palladae ep. XI. 62. multa alia.

Ausonius, quem epp. suis epp. Graeca imitatum esse notum est[3]), ut erat aequalis maior natu Palladae, non solum epp. ab hoc iuvene scriptis uti potuit, sed etiam ut a Pallada imitandus proponeretur, fieri potuit. Et re vera sunt quaedam epp. utriusque poetae, quae primo obtutu inter se cohaerere videantur: invenimus e. g. infacetum illum de generibus lusum ep. IX. 489. etiam apud Ausonium ep. 46. (ed. Schenkelii) vv. 5. et 6. Sed hoc argumentum non solum his epp. tractatur, sed etiam permulti sunt poetae, qui imitabantur has infacetias more huius aevi, ex quibus nobis epp. in Boissonadii anecd. Gr. II. 478. et in anthol. Lat. (ed. Riesii) I. 128, ep. 109. servata sunt; confer et simile ep. Luciani VI. 17. Itaque cum hoc argumentum epigrammatographis gratiosissimum fuisse videamus, alterum alterum exscripsisse non est coniciendum. Similiter res se habet in Ausonii epp. 47. et 48. et Palladae ep. XVI. 317., si modo Palladae est, quibus malus rhetor illuditur. Quod argumentum cum Ausonius ipse bis permutat, tum alii poetae tractant epp. XI. 145. ἀδέσπ., 151. ἀδέσπ., XVI. 318. ἀδέσπ. Unde apparet hoc argumentum epigrammatariis in deliciis fuisse. Reliqua Pal-

---

1) Postea migravit in Gnomol. Joannis Georgid., quod edidit Boissonade Anecd. Gr. I p. 81.

2) Poetae Lyr. Gr. ed Bergk.⁴ frgt. 29.

3) Cf. exempla in edd. Schenkelii et Peiperi addita, praeterea Teuffel-Schwabe, R. L. G. 421, 2^a, Sakolowski l. l. p. 66.

ladae epp., quae apud Ausonium reperiuntur, sunt epp. ab Ugoleto vel Merula conversa[1]), quae non sunt Ausonii. Sunt autem haec:

Append. ed. Schenkelii ep. 3 = A. P. App. 1. — ep. 15 = A. P. ep. XI. 279. — ep. 30 = A. P. XI. 255.

Qui translatores cum neque P. neque Pl. usi esse videantur, quam epp. collectionem in manibus habuerint, alio loco explicare conabor.

Quibus rebus perquisitis cognovimus Palladam et antecessores fere nihil imitatum esse et suo ingenio carmina scripsisse contra rationem reliquorum epigrammatographorum. In primis ab auctoritate praeclari illius Tarentini Leonidae alienissimum se praestitit, qui quanta auctoritate apud sectatores, quin etiam apud epigrammatistas post Palladam florentes, apud Cycli Agathiae poetas, valuerit, constat inter omnes, ut Geffken[2]) iure ac merito Palladam dignum esse censeat nomine veri poetae, quo nomine plerique epigrammatarii Leonidae pedisequi indigni sint.

Palladas, cum se paene liberum ab auctoritate epigrammatographorum, qui praecedunt, praestitit, tum libros aliorum scriptorum Graecorum diligenter se versavisse epp. ostendit. In primis Homerum penitus novit, perspexit, exscripsit. Non modo eius fabulas, sed etiam figuras et formas, eius proverbia et sententias, eius imagines et tropos, persaepe totos versus eius sibi adscivit, non raro eius nomen laudat, cf. epp. IX. 165, 7. 166, 1. X. 47. VI. 61, 5., sed plerumque non opus erat, quod Graeci habitabant in libris Homeri. Neque tamen infacete Homero utitur, sed saepe salsum acumen Homeri versibus adicit, cf. epp. VI. 61. IX. 395. 484. X. 47. 50., persaepe eius versus parodice perstringit, initium Iliadis praecipue, quod iam notavimus, cf. epp. IX. 168. 169. 173. XI. 351. App. 1. alia. Si omnia, quae Palladas ex Homeri libris sumpsit, hic conferre vellem, fere omnia epp. Palladae enumeranda mihi essent.

Hesiodum quoque legisse eum docent epp. IX. 165. et 167., quae ad Hesiodi op. et dies v. 57[3]), et ep. X. 89., quod ad v. 763. eiusdem libri pertinent.

Fabularum antiquorum tragicorum non est ignarus, ex quibus nimirum in Euripidis tragoediis maxime est versatus, cf. ep. XI. 62., quod ex Eurip. Alcest. v. 782. seq. manavit, fortasse ep. VII. 610. verbis *Πενθεὺς* — *Πενθεσίλεια* — *πένθος* ludens Eurip. Bacch. v. 367. meminit. Cf. praeterea ep. X. 95. (*121.*) cum Eurip. Rhes. vv. 395. et 396.

Ex comoediis sumpsit fortasse argumentum ep. XI. 323., cf. Aristoph. Vesp. v. 45.

---

[1]) cf. Peiper, J. J. Suppl. 11. p. 226.

[2]) Leonidas von Tarent. J. J. Suppl. 23, p. 149.

[3]) Nisi forte ex Euripidis Hippolyt. (Nauckii Fr. Tr. Gr. Eurip. 429.) fluxit, quod Nauck conicit.

Recentiorum comicorum Menandrum non modo nominatim laudat ep. X. 52., sed etiam maxime usurpat; cf. epp. IX. 182, X. 62, 87, 96, XI. 283. cum Menandri frgto. 247. (ed. Meinekii).

Ex lyricis poetis Pindari librum in bibliotheca sua habet, ep. IX. 175., quem laudat item ac Callimachum, ep. IX. 175. Hipponactem quoque (frgt. 29. Bergkii P. L. Gr.[4] = ep. XI. 381.) et Phocylidem (frgt. 12. l. l. = ep. X. 51.) legisse videtur, etiamsi fieri potuit, ut hos versus ex aliis fontibus hauriret.

Luciani libros, quod accurate novit, non miramur, cf. in primis:
ep. VII. 684. cum Luciani l. de astrol. 5.
— X. 45. „ „ „ Prometh. 13.
— X. 53. „ „ „ deor. dialog. XIII. multa alia.

Restat, ut perquiramus, quanta auctoritate noster apud epigrammatographos, qui post eum florebant, valuerit. Palladas adeo non sua auctoritate sectatores commovit, quam ipse auctoritate antecessorum commotus est. Epp. sententiosa a Pallada exculta Agathias, Paulus Silentiarius, Macedonius exceperunt et more suo amplificaverunt fabulis mythologicis, cf. epp. X. 70, 71, 76. Praeterea perpauca vestigia invenisse mihi videor. Ep. XV. 19. anonymum imitari videtur Palladae ep. VII. 610., cum id, quod illo ep. ruina thalami tam crudeliter et turpiter describitur, aut rudis recentioris aevi aut inertis imitatoris esse videatur. Ep. ἄδηλον, quod a Cougnyo anth. Pal. vol. III. I. 356. exaratur, ex Palladae epp. XI. 292. et IX. 400. fluxisse mihi videtur. Palladae versus in paroemiorum syllogas transmigrasse iam supra explicavimus.

Laudati sunt a scriptoribus hi versus Palladae:
ep. XI. 292, 3. a Theodoro Hyrtaceno, cf. p. 25.
— X. 44, 4. ab Eustathio ad Iliad. I. 119. p. 1240, 18.
— X. 84. ab eodem ad Iliad. XVII. 192. p. 1105, 58. aliique.

Nicetas Eugenianus praeter multa alia epp. nonnulla quoque Palladae expilavit, cf. II. v. 347. = ep. IX. 167., VI. v. 632. = ep. *V. 256.*

Sed haec hactenus: nunc epp. ordinare conemur tempus sequentes, quo quodque scriptum sit. Quod ut faciamus, neque stilo et re metrica adiuvamur, neque id, quod Geffken nimis audacter conatus est ex copia increbescente verborum ordinem temporum epp. Leonidae Tarentini enucleare, ad Palladae epp. transferre possumus, sed ea sola, quae argumenta epp. ipsa indicant, auxilio vocare possumus. Quibus ex argumentis hanc seriem iam composuimus: XI. 292, IX. 400, IX. 528. cf. supra p. 39. seq. Accedit ep. X. 97., quod Palladas senex scripsit. Novas ansas ordinandi praebet tempus, quo Palladas artem grammaticam reliquit, qua de re vide supra p. 44.: nonnulla epp. determinare possumus, quae aut antea aut postea aut tum scripta sunt, cum arti suae calcem impepigit Palladas. Epp. IX. 171. et 175., quibus poeta se artem

grammaticam relinquere indicat, fortasse. eodem tempore scripta sunt. Certo post ea factum est ep. XI. 378. Item epp. IX. 172, *IX. 49, 134/35.* post artem mutatam facta esse videntur. Praeterea epp., quibus paupertatem suam lamentatur, ante, epp., quibus se sorte sua contentum esse dicit, post hanc conversionem vitae poetae scripta esse veri est simile. Itaque prioris partis vitae sunt epp. iam commemorata IX. 168, 169, XI. 383., quibus se grammaticum esse dicit, deinde fortasse ep. IX. 170, 173, 174, X. 51, XI. 302, 303.; posterioris partis: XI. 378, IX. 172, X. 86, 97.

Iamiam de genere scribendi poetae nobis agendum est. De dialecto poetae quarti p. Ch. n. saeculi nimirum non habemus, quae dicamus. Palladas, ut est imitator Homeri, figuras verbaque stili epici maxime usurpat, neque tamen omnino est liber a sui aevi ratione scribendi, quod e. g. numerum dualem evitat, quem omnino posteriorum temporum dialectus *κοινή* non agnoscit.

Constat inter omnes horum saeculorum, quae commemoravi, poetas in primis Nonnum et eius sectatores maxime valuisse novis verbis fictis. In Palladae quoque epp. multa invenimus nova verba haud parva cum sagacitate ficta aut parodiae aut annominationis causa. De nominibus propriis certis de causis fictis iam supra diximus, addimus hoc loco alia: *Γορδιοπριλάριον* nominat militem gloriosum barbarae pronuntiationis ep. VI. 85, 2., *Ταβλιόπην* musam poetae talis ludentis nomen *Καλλιόπης* comice permutans ep. XI. 373., *ἀνδρομάχην* mulierem cum viro pugnantem epp. XI. 378. et *V. 70.*, praeterea *Ἑρμοπιθηκιάδης* et *ἑρμαγέλη* comice fingit secundum *Ἑρμόλυκος* ep. XI. 353.

πολύμηνις ep. IX. 168,3. parodice fingit ad Homeri vocem *πολύμητις* alludens, item *διχόλωτος* ad uxorem et artem grammaticam refert IX. 168, 3.

Verbo *ἀποχαλκίζω* ep. IX. 283, 5 perstringit pecuniae aviditatem Chalcidensium,

ῥυγχελέφας ep. XI. 204. faciem insolentis formae.

Verbis *θιώ, κνή, κρᾶ* ep. VI. 85. barbaram pronuntiationem militum illudit.

Praeterea haec inveni vocabula, quae in Palladae epp. primum leguntur:

αἰνίζειν XI. 341, 1., cuius modus medius solus in usu est.
ἀλαβαρχεία XI. 383, 4., nisi cod. Just. IV, 61, 9. antea.
ἀντιοχεύομαι XI. 284, 2.
ἀστρόθετος VII. 683, 6.
αἰτοχόλωτος VII. 688, 5.
βράβυλος IX. 377, 5. hoc loco de fructu, omnibus reliquis de arbore dictum.
γραμματικεύομαι IX. 169, 2., quamquam Pollux expresse dicit verbum sua aetate non exstare.

δίζυφος IX. 503, 1. et 2.
δικολέκτης X. 48, 3., etiam in ep. XVI. 313, 3. ἀδήλῳ invenitur, quod num Pallada antiquius sit, non est certum.
θερμοδότις IX. 183, 4.
καινόταφος VII. 686, 4. (male κεινόταφος).
καλήμερος — κακήμερος (rectius καχήμερος) IX. 508.
κατεισάγω X. 92, 2.
κολοκυνθιάς XI. 371, 2.
ληστοκτόνος XI. 280, 1.
λιμοφορεύς XI. 371, 1.
μυκτηρόθεν X. 75, 1.
πτισάνης XI. 351., nisi forte πτιστής scribendum est, quod item alibi non reperitur. Brunck commendat πτισανᾶς.
ῥαφιδεύς XI. 288, 1.
συκίζω et συκόω IX. 471, 1.
χόλιος IX. 165, 8.

Praeterea πολυώδινος primus passive usurpat, nisi forte ep. XVI. 111. Glauci vetustius est.

Accedit superlativus gradus comice fictus Ῥωμαϊκώτατος ep. IX. 502, 4.

Recentioribus temporibus floruisse Palladam ex eo quoque intellegitur, quod Romana nomina et verba adhibet in epp. Nomina Romana haec profert:

Σέξστος X. 99, 1., fortasse corruptum. Μαῦρος XI. 204.
Παῦλος XI. 263. Μάγνος XI. 281.
Ἰταλία XI. 302. Σιλβανός XI. 343.
Πατρίκιος XI. 386 (*XI. 261*). Γορδιοπριλάριος VI. 85. fortasse ex voce pilarius fictum est. Adiectivum quoque Αὐσόνιος epp. XI. 378, 16. Romanae linguae est.

Vocibus Romanis his utitur:

Δόμινε φράτερ X. 44. propter annominationem.
πρίγκιψ *XI. 359, 9.*

Non praetermitto vocem semibarbaram κέλλιον XI. 351.

Particulas quoque, quae saeculis Ch. n. sequentibus in dies rarescebant, apud Palladam perraras esse observamus. Ex eis particulis, quas Blass in Novo Testamento non iam exstare explicavit[1]), perpaucae in epp. Palladae reperiuntur: omnium maxime usurpat νῦν, at non particulam, sed temporis adverbium cf. epp. IX. 183, 4. 5 6. 441, 2. XI. 290, 3. 292, 4. 378, 4. IX. 180, 4. 181, 2. X. 90, 7. *IX. 378, 2.*

γοῦν bis reperitur IX. 165, 6. 503, 2.

ἀτάρ nusquam, αὐτάρ bis IX. 166, 6. X. 44, 3.

γὲ quod in Novo Testamento fere semper cum coniunctionibus

---

[1]) Grammatik des neutestamentl. Griech. p. 255.

coniunctum legitur et apud Parthenium et reliquos eroticos plane desideratur[1]), semel inveni in Palladae ep. XI. 353, 5., quo loco cum etiam propter sententiarum conexum suspicionem moveat, fortasse rectius in δὲ mutandum est. Pl. praeterea γὲ semel inserit ep. IX. 395, 1. fortasse ob causam metricam, sed non recte, quod haec verba sunt ex Homeri Od. IX. 34. sumpta. Coniunctum legitur εἴγε X. 55, 7, εὖγε X. 52, 1.[2])

Ad augendam venustatem epp. suorum Palladas tropis artis rhetoricae quam maxime usus est, quam ob rem exempla sola notabilissima enumero:

metaphorae: ῥεύματα τῆς τύχης, τὸ ζῆν σφαλερὸς πλοῦς.
metonymiae: Βάκχος, Βρόμιος pro οἶνος XI. 54, 55. *VII. 339.*
ἄντυξ ἀργυρίη XI. 292, 2. pro munere praefecti.
υἱὸς τῆς βραδυτῆτος pro βραδύς XI. 317, 3.
allitterationis: VII. 610, 5. 683, 8.
paronomasiae: λόγος — ἀλογώτατος VII. 683, 3. ἀστρολόγοις ἀλόγοις VII. 687, 4. X. 48, 3.
antitheseos: ἀρχὴ — τέλος VII. 684. κατηνέχθη ἐπαρθείς VII. 684. ἄνω — κάτω XI. 292.
geminationis: εὖγε — εὖγε X. 52, 1.
cycli: τοσοίδε, τοσοίδε XI. 384.

Symmetria verborum cum fuerit usitatissima in sententiis, non est mirum, quod eius permulta exempla proferuntur in epp. Palladae, in primis in pentametris cf. epp. XI. 378, 381, IX. 508, X. 58, XI. 384, X. 91. multa alia. Cum pervolanti cuique epp. Palladae sescenta exempla in oculos occurrant, omnia enumerare supersedeo.

Sed id non praetermitto Palladam ut plerosque epigrammatographos saepius iterare non modo enuntiata, sed etiam totos versus, immo vero disticha: ep. *VII. 339.* vv. *5* et *6* = ep. *X. 118.* vv. *3.* et *4.* ep. *IX. 49.* v. *1* = *IX. 134/5.* v. *1.* Ep. IX. 181. v. 1. simillimus est ep. X. 90. v. 7. Eisdem verbis finit versus ep. X. 91. v. 1. et v. 5., verbis μηδὲν ἐπιστάμενος VII. 688, 4. XI. 305, 2. *X. 118,* 2., δόμον εἰς Ἀΐδαο VII. 607, 3. 686, 3.
εἰς Ἀΐδην κατάγει IX. 173, 4. X. 75, 6. 80, 4. XI. 280, 4.
προὔλαβεν εἰς Ἀΐδην VII. 682, 2. XI. 290, 2.
πρὸς τέλος ἐρχόμενος VII. 685, 2. XI. 54, 4.

Cum epp. hoc loco edere supervacaneum esse censeam, quod in anthologia Graeca a Stadtmuellero optimis subsidiis nixo nunc eduntur, satis habeo componere, qui viri docti post ultimam editionem anthologiae Graecae, i. e. Duebnerianam, recensuerint et

[1]) Quod ostenderunt Meineke, Anal. Alex. p. 337. et p. 302. adnot., et Struve, De exitu vers. in Nonn. poet. dissert. p. 19.

[2]) Itaque quod viri docti γὲ inserebant in epp. Palladae, e. g. Herwerden Mnem. II. (1874) p. 328. in ep. VII. 683. v. 8., reiciendum est.

correxerint haec epp. Duebnerianam autem post editionem a 1872. in lucem proditam hi viri de Palladae epp. egerunt:

Finsler, Kritische Untersuchungen zur Gesch. der griech. Anthol. Zuerich 1876, quo de libro nobis iam saepius dicendum erat.

Herwerden, Mnemosynae II. (1874) p. 302. et XIV. (1886) p. 366. — Studia critica 1891. de ep. XI. 305.

F. W. Schmidt, Kritische Studien zu d. griech. Dramatikern und der Anthol. III. vol. Berol. 1887, p. 92—192. innumerabiles coniecturas, partim non probandas notat.

Sternbach, Melet. Gr. a. 1886. — Anthologiae Planud. append. Barberino-Vaticanae a. 1890 multis locis.

Singula epp. tractaverunt hi viri:

Ellis, Journ. of Phil. 18. (1890), p. 211, ep. X. 73.

Engel, De quibusdam anthol. Gr. epp. commentatio. Progr. Gymnas. Elberfeld. 1875. ep. *X. 121.*

Dilthey, Rh. M. 1872, p. 290, epp. *X. 118.* XI. 305.

Arthur Ludwich, J. J. 133, p. 562, ep. XI. 54, 666, IX. 377, XI. 377. — Z. f. d. oesterr. Gymn. 1880, p. 81. ep. *VII. 339.* — Rh. M. 41. (1886), p. 615, epp. *XI. 343.* et *430.*

Nauck, mélanges Gréco-Rom. V. p. 172 ep. *IX. 379.*

Rubensohn, J. J. 1889, p. 656, epp. XI. 385, *X. 121.*

Stadtmueller, J. J. 1888, p. 353. epp. *VII. 339.*, X. 84. — Bl. f. d. bayr. Gymn. 1890, p. 1. ep. IX. 6. — ibidem p. 554, epp. X. 44. *V. 70.* — J. J. 1891, p. 322, ep. *V. 77.* — B. ph. W. 1893, p. 101, ep. *X. 121.* et 1895, p. 356

Accedunt Thewrewk, Egyetemes philologicai Közlöny XI. F. 1877, p. 296, ep. XI. 255., qui fortasse habebat, cur sapientiam suam barbara lingua occultaret, — et anonymus H. H. significatus, qui Litt. Centralblatt 1891, p. 270 de ep. *V. 70.* egit.

Caput quintum.

De arte metrica Palladae.

Ingens illa multitudo versuum formarum, quae ubertate ingenii Graecorum procreata erat, cum robore illius ingenii remissa erat, quam ob rem non est admirandum, quod Palladas, ut est poeta recentis aetatis atque adeo epigrammatarius, perpaucis versuum metris usus est, nam sola disticha elegiaca, hexametros *κατὰ*

στίχους, trimetros iambicos adhibuit. Ex quibus nimirum maximam partem occupant disticha elegiaca, quibus 123 epp. ex 144 genuinis epp. Palladae composita sunt, sed duo epp. hexametris solis, 19 epp. iambicis trimetris; ex 27 epp. dubiis Palladae 22 epp. distichis elegiacis, 3 epp. iambicis trimetris, 2 epp. hexametris *κατὰ στίχους* composita sunt.

A.

De distichis elegiacis et hexametris *κατὰ στίχους* compositis.

Perquirendi nobis sunt ex 123 epp. 274 hexametri et totidem pentametri, accedunt 7 hexametri *κατὰ στίχους* compositi. Ex 22 dubiis epp. 42 hexametri et totidem pentametri, praeterea 16 *κατὰ στίχους* hexametri comparandi sunt. Ut alicuius poetae artem metricam accurate et certo perspiciamus, manifestum est eos solos versus perscrutandos esse, qui num genuini sint, non est dubitandum. Quod in primis viri docti, qui de arte metrica epigrammatographorum egerunt — sunt adhuc haud ita multi — neglexerunt; praeterea eorum poetarum, qui alia quoque carmina praeter epp. scripserunt, omnia carmina aequo modo excusserunt, ut non omnia, quae illi invenerunt, cum epp. eorum poetarum, qui epp. sola composuerunt, comparari possint. Historia rei metricae epp. Graecorum nondum descripta est, ad quam explanandam has symbolas adferre mihi liceat.

Hexametros Graecos ab ingeniosa licentia et fertili sollertia Homeri usque ad severitatem Callimachi et ad morositatem languentem et angustis legibus coartatam Nonni procedere notum est. Palladam cum inter Callimachum et Nonnum floruerit, fortasse huius aequalis maior natu fuerit, etiam arte sua metrica medium esse inter hos poetas conici potest, quod num Palladae epp. comprobetur, perscrutemur.

Ex temporum ratione hexametrorum dactyli magis magisque numero superant spondeos inde ab Homero ($2^2/_3 : 1$) usque ad Nonnum ($5^7/_{15} : 1$).[1]

Invenimus in Palladae 281 hexametrorum quattuor prioribus pedibus 777 dactylos et 347 spondeos (i. e. $2^1/_3 : 1$); sin autem quintos pedes adiungimus, 1055 dactylos et 350 spondeos. Quae comparatio non respondet coniecturae nostrae, sed propius accedit ad Homeri comparationem ($2^2/_3 : 1$) quam Callimachi ($3^3/_5 : 1$), nedum Nonni ($5^3/_8$ et $5^7/_{15} : 1$).

---

[1]) Cf. tabulam ab A. Ludwichio J. J. 109. p. 236. compositam et Beneckii dissert. Argent. De arte metrica Callimachi a. 1880.

Persequamur, quo modo Palladas reliquas leges, quas Alexandrini hexametris faciendis proposuerant, observaverit. In multis illis libris, quibus de Alexandrinorum, in primis Callimachi rebus metricis agitur, tot observationes subtiles explicatae sunt, ut unamquamque examinare in Palladae epp. longum sit. Nos ut consequamur, quae agimus, satis est notabiliores res, quibus Alexandrinorum hexametri discrepant cum Homeri versibus, ex Palladae epp. requirere, ut intellegamus, quem Palladas sibi proposuerit imitandum. Quae discrimina optime explanata sunt in praeclara illa dissertatione Guilelmi Meyer, quae inscribitur: Zur Geschichte des griechischen und lateinischen Hexameters.[1])

Primam illam legem Meyeri Palladas in 281 hexametris septies neglexit:

VII. 607, 5. *φαγοῦσα*	XI. 304, 3. *λογισμόν.*
IX. 161, 1. *Ὅμηρος*	317, 1. *ἀντίσπαστον*
174, 5 *κάπνισμα*	App. 1. v. 1. *ἄειδε.*[2])
X. 49, 1. *μύρμηκι.*	

Minus etiam Palladas alteram legem Meyerianam secutus est, ex 40 prioribus Palladae epp. hos inveni versus huic legi obsistentes;

VII. 607, 3. *ταχύς.*	IX. 167, 1. *πυρός.*
—, 5. *βίον.*	172, 1. *τύχης.*
683, 3. *ἐών.*	174, 5. *τιθεῖ.*
686, 3. *παθών.*	182, 3. *φέρειν.*
IX. 5, 1. *ἐμῆς.*	377, 3. *τροφῆς.*

Etiam a tertia lege Meyeri multi Palladae versus abhorrent, ex quibus commemoro VII. 607, 1. 683, 7. IX. 166, 3. 183, 1. 502, 1. 3. XI. 378, 1. alios multos; quin etiam caesuris semiquinaria et semiseptenaria praeeuntibus post quintam arsim verbi finis et caesura invenitur, quibus rebus versus nimis aequabiliter et languide sonant, cf. vv. IX. 119, 1. 168, 1. 169, 1. 174, 11. XI. 280, 3. 292, 3. 323, 1 multos alios. Immo vero quattuor caesuras post arses sequentes continuas Palladas admittit, cf. vv. IX. 119, 1. XI. 280, 3. 292, 3.

Etiam eam legem, quam Kaibel[3]) invenit Alexandrinorum in hexametris voci quattuor syllabarum, quae versum finit, aut caesuram bucolicam aut caesuram trochaicam tertii pedis, at non semiquinariam antecedere, Palladas non observavit, sed hos inveni versus obsistentes:

VI. 61, 1. VII. 607, 1. 3. IX. 487, 1. X. 59, 3. 79, 3. 84, 1. 97, 1. XI. 378, 1. 5. App. 1, v. 3. v. 5.

---

[1]) Sitzungsberichte der bayr. Acad. d. Wissensch. 1884. p. 979. sqq. in primis partem I.: Zur Gesch. d. alex. Hexameters.

[2]) In 58 dubiis hexametris ter: *IX. 378,* 7. *ἕωθεν. IX. 378,* 9. *Σάραπις. XVI. 317. ἄναυδον.*

[3]) Comment. philol. in honor. Theod. Mommseni. p. 328.

Lex quoque de caesuris minoris momenti hexametri, quam Meyer l. l. 992. iam a poetis elegiacis observatam esse demonstravit, quamque ab Alexandrinis in primis excultam, ab epigrammatographis coronarum Meleagri et Philippi acceptam esse Meyer l. l. p. 995. ostendit[1]), in Palladae epp. non valet, qui hac quoque in re antiquos poetas epicos, Homerum et Hesiodum secutus a legibus antecessorum suorum, Alexandrinorum, liberum se praestitit. Quae lex praecipit, ut caesura semiquinaria semper coniuncta sit cum caesura minoris momenti, aut semiseptenaria aut bucolica, quacum pugnant Palladae permulti versus, cf. VII. 607, 1. 683, 7. IX. 502, 3. X. 79, 3. XI. 386, 3. IX. 166, 3. 183, 1. 487, 1. 502, 1. X. 59, 3. 65, 1. 84, 1. 97, 1. XI. 62, 5. 340, 3. 357, 3. 378, 1. 5. App. 1, 3. 5. Quibus in versibus semper quarta et quinta arsis est unius verbi, quod quinta arsi finitur. Accedunt duo versus eiusdem generis, in quibus verbum priore thesi quinti pedis finitur X. 50, 5 et XI. 290, 3.

Etiam quod caesurae trochaicae magis crebrescunt quam caesurae masculae quae vocantur, inde ab Homero, dum illae apud Nonnum et Quintum quinquies vel sexies saepius quam hae inveniuntur, Palladas magis ad Homerum inclinat, nam in Palladae hexametris 107 caesurae trochaicae, sed 105 caesurae semiquinariae cum caesuris bucolicis, 8 cum caesuris semiseptenariis, 16 cum caesuris semiternariis, 9 solae caesurae semiquinariae reperiuntur.

Spondeos rarius quam dactylos in quarto pede ante caesuram bucolicam iam Homerum adhibere Imm. Bekker[2]) explanavit, quos apud Callimachum eo rarius inveniri Meyer l. l. p. 1001. demonstravit, qui sex solos spondeos huius generis investigavit. Sed plures in Palladae epp. reperiuntur, cf. vv. VII. 683, 5. IX. 484, 5. IX. 487, 3. multos alios versus. Verba spondiaca aut exitus spondiacos verborum in quarto pede Callimachus plane evitat, apud quem unum versum discedentem, hymn. IV. v. 226. Meyer se invenisse dicit. Sed in Palladae epp. haec verba spondiaca in quarto pede ante caesuram bucolicam repperi: *σέρφῳ* X. 49, 11. *μισεῖς* XI. 303, 1. et hos spondiacos exitus verborum: *μέριμνα* X. 34, 1. *ἑταίρα* X. 50, 1. *γαμήσει* XI. 303, 3. Severius in altero pede Palladas hanc legem observavit, nam duo exempla sola investigavi: *πέτρης* X. 55, 3. *ψῆφος νῦν* XI. 290, 3.

In pentametris quoque Palladas alteram legem Meyerianam non est secutus, nam non solum in finibus pentametrorum permulta verba iambica, cum verbis quoque coniuncta, quae in quinto pede trochaeo finiuntur, sed etiam in caesuris pentametrorum talia

[1]) Antea hanc legem observasse Nicandrum Volkmann, De Nicandri Col. vita et scriptis p. 24. et postea Nonnum Tiedke, quaest. Nonn. spec. 3. ostenderunt.

[2]) Hom. Blaetter II. p. 144.

profert, quo loco Meyer p. 982. in Callimachi carminibus duo exempla invenerat. Septies decies Palladam hanc legem violasse cognovi:

VII. 610, 4. *νεκρῶν.*
— 6. *γάμος.*
681, 2. *ἐῶν.*
683, 4. *μαθεῖν.*
— 6. *χέσειν.*
686, 2. *πλέον.*
IX. 6, 2. *ἐνείς.*
167, 2. *γυνή.*
169, 6. *Πάρις.*

IX. 171, 4. *ἐμοί.*
173, 2. *ἔχει.*
175, 4. *κατ' ἐμοῦ.*
182, 2. *τύχας.*
377, 2. *φυτῶν.*
XI. 394, 2. *φόβος.*
397, 6. *ἐμῇ.*
484, 6. *φαγεῖν.*

Iamiam ad eas leges examinandas transimus, quas Nonnus eiusque sectatores secuti versus suos composuerunt. Has leges, quae quidem sint severiores legibus Alexandrinorum, quo modo Palladas observaverit, iam cognitum habemus; tantum enim abest, ut Palladas Alexandrinorum praeceptis angustis oboediverit, ut eo minus severiores leges Nonnianorum secutus sit. Longius nimirum aberat a Nonnianis quam ab Alexandrinis, cum neque dactylos spondeis, neque caesuras trochaicas tertii pedis reliquis caesuris auteponeret neque leges Meyerianas tam severe teneret, quam Alexandrini, nedum Nonniani.

Nonnus, cum omnino spondeos submoveat, in quarto pede spondeos prorsus evitat, at Palladas bis concedit: ep. X. 71, 1. X. 54, 3., quo loco nomine *Ἡρακλείας* commotus, semel in dubio ep. *IX. 378, 1*. Eadem causa Nonnus compellitur, ut duos sequentes spondeos aut non aut rarissimo in secundo et tertio pede adhibeat, sed Palladas non modo duos spondeos continuos in pedibus primo et secundo: ssdd VII. 684, 1. 685, 1. X. 45, 1. 59, 3. XI. 304, 1. 371, 5. 386, 1.; ssds IX. 502, 1. X. 50, 1. 5. 53, 3. 78, 3. XI. 261, 1. 285, 3. IX. 5, 3; aut tertio et quarto: sdss IX. 174, 7. X. 49, 1. 56, 5.; ddss X. 84, 1. XI. 349, 1., sed etiam tres spondeos: sssd VI. 85, 1. IX. 502, 3.; dsss X. 53, 5. 88, 1., quin etiam quattuor semel coniunxit XI. 290, 3.

Nonnus spondeos, quoscunque secundo vel tertio pedibus permittit, nunquam voce bisyllaba aut binis vocibus monosyllabis explet[1]), quod Palladas, cum spondeos non evitet, non observat, sed bis invenimus verba spondiaca in secundis pedibus XI. 290, 3. (*ψῆφος*) et X. 55, 3. (*πέτρης*), quod ex Homero sumptum est. In tertio pede ne unum quidem verbum spondiacum repperi. Duo verba ut forment spondeum secundi pedis, Palladas persaepe concedit, cf. epp. IX. 395, 3. *εἰ καὶ;* 502, 5. *οὖν μοι;* X. 44, 3. *γὰρ καὶ;* 52, 3. *γὰρ τοῦ;* XI. 383, 3. *γὰρ καὶ;* tertii pedis IX. 176, 1. *σοῦ τοῦ,*

---

[1]) A. Ludwich in Rossbachii: Metrik d. Griechen[3] III, 2, p. 59. sqq.

secundi pedis cum tertio pede coniuncti VI. 85, 1. *καὶ τὰς κνῆ, τὰν* certa de causa.

Unum versum scripsit Palladas, qui caesura tertii pedis caret ep. IX. 503, 1., quod in Nonnianorum hexametris inusitatissimum est.[1]) Id quod Nonnus longas voces anteponit et monosyllabas ne coacervet, evitat, Palladam non observare videmus, cum tres monosyllabas sequentes non raro inveniamus, immo vero quattuor cf. X. 44, 2. 75, 5. multos alios, atque etiam sex semel VI. 85, 1.

Vocibus monosyllabis hexametri finiri possunt, solas voces encliticas vel voces levioris accentus Nonnus in fine hexametri evitat. Non item Palladas:

cf. VII. 685, 1. *εὐτυχίης τε.* X. 34, 1. *μελέτω σοι.*
XI. 299, 1. *φέρω σε.* XI. 304, 1. *καὶ εἴ τι.*

Melius oboedit Palladas Nonni praecepto: ne verbum finale ultra arsim quinti pedis redeat, cum vocibus multarum syllabarum hexametros ne finiat, evitet, cf. Meyer l. l. p. 1010, praesertim cum quintum sextumque pedes hexametri perraro una voce expleat. Cuius rationis haec tantum exempla inveni: Quintus et sextus pedes hexametri formantur una voce α) quattuor syllabarum in omnibus versibus spondiacis Palladae: X. 54, 3 propter nomen proprium, X. 71, 1. *IX. 378, 1.* β) quinque syllabarum: VII. 683, 5 propter nomen proprium, VII. 688, 3. IX. 165, 1. X. 61, 1. XI. 371, 1. *X. 121, 3.* Quod ea quoque re efficitur, quod Palladas omnino verbis, quae longiora sunt quinque syllabis, raro utitur, multo rarius Homero. Has voces sex syllabarum in Palladae hexametris invesstigavi: VI. 61, 5. *λιπαροκρήδεμνος,* IX. 183, 1. *μεταβαλλομένη,* IX. 397, 1. *ὑπαντιάσασα,* X. 79, 3. *ἀλλοτριωθέντες,* XI. 55, 1. *ἀποσκεδάσειεν,* 386, 3. *ἀποδυρομένη,* quarum pleraeque ex Homero sumptae sunt. Voces ultra sex syllabas progredientes in Palladae hexametris non reperiuntur, in pentametris sunt nonnullae septem syllabarum, quas Palladas ipse certis de causis fingebat:

VII. 85, 2. *Γορδιοπριλάριος* nomen proprium comice fictum, XI. 383, 2. *Ἑρμοπιθηκιάδας* item, XI. 284, 2. *ἀντιοχευόμενος* ad nomen Antiochiae alludens, IX. 169, 2. *γραμματικευσαμένῳ* cf. p. 82. Voces sex syllabarum in pentametris crebriores sunt.[2])

Etiam ab ea lege, quam G. Hermann primus invenit Graecos in quarta pede hexametri caesuram trochaicam vitare[3]), quamque

---

[1]) Ep. X. 56. v. 5. quoque caesura caret tertii pedis, cum non incidatur inter articulum et nomen.

[2]) Has inveni voces sex syllabarum, quae semper pentametros finiunt: VII. 607, 6. *ἀπεκερμάτισεν.* IX. 119, 4. *κολακευομένους.* 170, 4. *ὑποτασσομένην.* 174, 6. *παραριπτόμενον,* idem IX. 441, 2. 183, 4. *ἀναφαινομένη.* X. 45, 2. *μεγαλοφροσύνης.* 84, 4. *διαλυόμενον.* 93, 2. *ὑπερηφανίης.* XI. 371, 2. *κολοκυνθιάδα.* Accedit gradus comparativus. X. 48, 2. *ῥητορικώτερος* et superlativus IX. 502, 4. *Ῥωμαϊκώτατος.*

[3]) Orphic. p. 692. sqq.

iam Homerum observasse idem vidit et postea Nonnum severe tenuisse Meyer demonstravit[1]), Palladas non saepe discedit. Nam praeter versus inter articulos et nomina incisos, qui re vera non cum hac lege pugnant, cf.

VII. 687, 1.	X. 45, 1.	*IX. 401, 3.*
IX. 168, 1.	— 51, 5.	*X. 121, 1.*

caesurae excusantur aequali collocatione verborum:

IX. 5, 4. XI. 307, 1. 384, 1. App. 1, v. 1. Ter vocabula δὲ explet priorem thesim quarti pedis: XI. 300, 1. 385, 1. 387, 1.

Unus X. 49. v. 3. offensionem praebet: χολὴν μὴ ἔχοντα, qui non solum propter hanc legem, de qua agimus, sed etiam propter hiatum Jacobsio praeeunte scribendus est μὴ σχόντα, qua permutatione utraque offensio amovetur.

Itaque versus discedentes maioris momenti non inveniuntur.[2])

Etiam syllabis positione productis usi Nonniani severas leges constituerunt, quibus Palladas non obsecutum esse intellegimus, nam e. g. illi nunquam syllabas finales in brevem vocalem terminantes in thesi producunt, cf. Ludwich l. l. p. 60. Quid? quod ne breves syllabas finales una consona finitas quidem producunt vi consonae insequentis?[3]) Apud Palladam 6 *(+ 1)* inveni syllabas in brevem vocalem excidentes duabus consonis verbi sequentis productas, cf. IX. 165, 5. 119, 3. X. 65, 1. XI. 353, 3. XI. 305, 6. VII. 607, 4. *VII. 339, 4.* ex quibus hae etiam vi litterae muta cum liquida coniunctae producuntur:

IX. 119, 3. ὥστε χρή. XI. 305, 6. οἶσθα γραμματικήν. *VII. 339, 4.* ἤ με προσπελάσει.

Saepius etiam Palladas legem Nonnianorum violat, cum in thesi producat syllabas breves in consonam exitus habentes vi consonae sequentis, in primis in thesi primi pedis: cf. IX. 484, 1. X. 53, 3. 61, 3. XI. 280, 3. XI. 304, 1. 305, 3. X. 56, 1. 5. IX. 170, 3. 503, 1. X. 52, 1. XI. 290, 3. VII. 688, 1. X. 53, 5. m. a. In pentametris: VII. 687, 2. IX. 172, 2. 173, 2. 395, 2. X. 45, 6. 54, 4. 59, 4. XI. 323, 2. IX. 503, 2. m. a.

Palladas ut contra Nonnianorum rationem tales syllabas finales in thesi non producit, ita non in arsi. Cuius generis productionem, quamquam in arsi tertii pedis ante semiquinariam, quam Nonniani prorsus vitasse Ludwich (in Rossbachii Metrik der Griechen p. 69) ostendit, in Palladae hexametris non invenitur, in pentametris semel tantum IX. 174, 10. μηνὶ, tamen in pedibus secundo, quarto, primo Palladas admittit, et eas non modo vocum pyrrhichiarum et mono-

---

[1]) Versus repugnantes enumerat Hermann l. l. et Meyer p. 980.

[2]) Etiam *IX. 378. v. 5.* non obsistit μετέβη· τὸ δὲ κ. τ. λ. cum distinctione vis caesurae masculae augeatur.

[3]) Arnoldus Dittmar, De Meleagri Macedonii Leontii re metrica.

syllabarum, cf. X. 63,1. *μηδέποτε ζήσας,* X. 44, 1. *Δόμνε φράτερ,* in pentametris X. 49, 4. *Ἕλλησι σφαλεροῖς.*

Elisisse Nonnianos Ludwich[1]) explanavit solas particulas, praepositiones, coniunctiones, rarius adverbia, at ne nomina, pronomina, verba eliderent, evitasse. Cum Palladas voces prioris generis persaepe elidat, exempla enumerare suspersedeo, sed alterius generis voces quoque elidere non est veritus, ut docent exempla. Elidit enim:

nomina:

IX. 528, 1. *δώματ᾽ ἔχοντες* post priorem thesim quinti pedis.
IX. 49, 1. *λιμέν᾽ εἶρον* post alteram thesim quinti pedis.
IX. 5, 2. *φύλλαδ᾽ ἔδησα* post priorem thesim secundi pedis.
X. 99, 1. *Σέξστ᾽ ἔστησα* [?] post arsim secundi pedis.
X. 88, 1. *μοῖρ᾽ ἄχθος* post alteram thesim quarti pedis.

pronomina:

X. 54, 3. *τοῦδ᾽ ὁ* post arsim primi pedis.
V. 71, 1. *τοῦτ᾽ αὐτὸ* post alteram thesim secundi pedis.
IX. 175, 5. *μ᾽ ἐάσῃς* post alteram thesim quinti pedis.
V. 70, 3. *σ᾽ ἐλεήσας* post arsim quinti pedis.
IX. 134/5, 5. *οἷατ᾽ ἐόντα* post priorem thesim quinti pedis.

in pentametris:

IX. 379, 2. *τόδ᾽ οὐχ* post alteram thesim secundi pedis.
App. 1, 6. *τοῦδ᾽ ἕνεκεν* post arsim quarti pedis.
VII. 683, 2. *ταῦτ᾽ ἔπαθες* post arsim quinti pedis.
IX. 394, 2. *σ᾽ ὀδύνῃ* post arsim quinti pedis.

adiectiva:

X. 56, 18. *καίν᾽ ἐρέου* post arsim quinti pedis.
IX. 393, 4. *δύ᾽ ἔστι* post alteram thesim quinti pedis.

verba:

IX. 395, 3. *ἀποθρώσκοντ᾽ ἐνόησεν* post arsim quinti pedis.
IX. 134/5, 7. *παίζοιτ᾽ εἴγε* post thesim primi pedis.
IX. 134/5, 8. *εὕροιτ᾽ οὐ* post thesim primi pedis.
V. 71, 1. *ἔῤῥετ᾽ ἀνίαι* post priorem thesim quinti pedis.

in pentametris:

X. 45, 2. *εἶπ᾽ ἂν* post arsim primi pedis.

Intellegimus igitur Palladam elidere saepius in pedibus secundo et quinto, rarius in primo hexametri, sed nunquam in tertio vel quarto pedibus hexametri praeter X. 88. v. 1., qui versus ob hanc quoque causam pro spurio habendus est, cf. p. 9.

Quibus ex elisionibus etiamsi pleraeque lenibus mutationibus amoveri possunt, tamen nulli magnum earum numerum respicienti

---

[1]) Beitraege zur Kritik des Nonnus v. Panopolis. Gymn. Progr. Koenigsb. 1873. p. 16. sqq.

negandum est Palladam haudquaquam Nonni praeceptis obtemperasse.

Praeterea Nonnus eiusque sectatores cum id studeant, ut sono cuique totam suam vim servent, vocales permiscere vitant, ut duo tantum exempla craseos inveniantur.[1]) Quod Palladas minus accurate observavit, sed profert προὔλαβεν VII. 682, 2. XI. 290, 2. τοὔνομα IX. 502, 2. τἄλλα XI. 62, 6. ταὐτὸ XI. 323, 2. τοὔνεκα ibid. v. 3. καὐτὸς XI. 302, 2. κἂν *XI. 379, 1. 3.* X. 33, 2. multa alia.

Etiam angustos fines, quibus Nonniani hiatum determinant, Palladas non agnovit, sed non modo in thesi duos vocales diversarum vocum coniungit, cf. v. v. IX. 174, 8 τὸ ἔθος. IX. 394, 2. τὸ ἔχειν m. a., sed etiam vocali finali adnectit longam vocalem arsis sequentis: VII. 681. 3. τροχαλώτερε· ἐκ. IX. 393, 3. τὸ ἄγνον. ibid. v. 4. δύ' ἐστι. X. 44, 3. χρήματα· αὐτάρ. X. 79, 1. γεννώμεθα ἦμαρ XI. 353, 3. παρελέξατο· ἡ. m. a.

Longam vocalem exeuntem prioris thesis Nonnus corripit vocali sequente solis in pedibus primo, nonnunquam in quinto quoque, Palladas et in tertio pede corripit IX. 169, 1. XI. 304, 1. Alterius thesis vocales Nonnus saepius corripit in primo et quarto pedibus, rarius in quinto, nunquam in secundo et tertio. In Palladae hexametris fere totidem exempla invenimus correptionum in quinto pede admissarum, quot in quarto pede, unum in primo XI. 54, 3., sed duo in tertio pedibus, XI. 54, 5. 285, 3.

Longa vocalis vocem finiens ne hiatu corripiatur, Nonnus concedit nusquam nisi verbis ex Homero sumptis (cf. Ludwich-Rossbach p. 77.), Palladas autem servat longas vocales in his quoque versibus:

X. 55, 1. μὴ ὑπακούειν. X. 75, 5. παλάμῃ ὀλίγῃ, quo hiatus transmutatione iam sublatus est. *IX. 134/5, 5.* ὕπνῳ ἐμβάλλετε.

In pentametris: VII. 687, 2. θανάτου ἐγγύθεν. IX. 174, 12. ὅλον ἔτεος. X. 53, 4. εἰ ὁ Κρόνος.

Restat, ut eam rem disseramus, quae est Nonnianis propria et cuius vestigia apud poetas antecedentes investigari non possunt: illi enim respiciunt vocum accentus in versibus componendis, quam ob rem praescribunt, ne quae vox proparoxytona hexametrum finiat (cf. Ludwich-Rossbach p. 78).[2]) Etiam hanc legem Palladas nequaquam sequitur, sed terminat hexametros suos: 62 proparoxytonis, 33 oxytonis, 28 perispomenis. Accedunt 12 voces monosyllabae, ut 135 versus ex 281 in arsi ultimi pedis vocis accentu careant. Qua ex re sequitur fere dimidium omnium versuum legi Nonnianorum

---

[1]) προὔτυψαν Nonn. 22, 139. ex Homero, προὔκνψεν 4, 431. cf. Lehrs. quaest. epic. p. 259.

[2]) Nonnullos quoque epigrammatographos hac lege teneri Ludwich J. J. 1874. p. 453. ostendit.

non respondere. Ex reliquis 146 versibus 28 perispomenis et 118 paroxytonis finiuntur.

Legem huic simillimam, quam Ludwich J. J. 109. p. 441. Nonnum observasse vidit quaque voces proparoxytonae in trochaeum excidentes in secundo pede poni vetantur, iam supra p. 87., cum de prima lege Meyeriana verba faceremus, attigimus. Exemplis illo loco notatis docemur hanc quoque legem Palladam nondum novisse.

Etiam illius legis, qua praecipitur, ne ultima pentametri syllaba acuatur quamque Hansen[1]) primus invenit, sed Meyer l. l. p. 1014 rectius declaravit a poetis non multum p. Ch. n. florentibus constitutam et a poetis Agathiae Cycli severe observatam esse, in Palladae epp. vestigia non reperiuntur, sed claudit ille

	157	pentametros	paroxytonis.
	91	„	proparoxytonis.
sed	12	„	oxytonis.
	14	„	perispomenis.

Sed haec iam satis multa: postquam principales leges et Nonni et sectatorum eius, quas Ludwich (in Rossbachii Metrik der Griechen³ III. 2. p. 64. sqq.) diligenter composuit, quo modo a Pallada iam observatae sint, examinavimus, Palladam nondum nosse illas leges vidimus. Cum tales leges non subito enasci soleant, sed exordia earum iam diu antea in carminibus antecessorum investigari possint, facile coniecerit quispiam in Palladae quoque epp. multa initia artis metricae Nonnianorum iam reperiri posse, quae postea a Nonno exculta sint ad rigidas leges. Quod non recte conici me certissime demonstravisse arbitror et unumquemque res principales probaturum esse spero; ut paucis absolvam, Palladas non numerandus est in antecessoribus scholae Nonni.

Sed cum antea Palladam ne Alexandrinorum quidem leges observasse viderimus, eum aut secutum esse antiquiorum poetarum leges, in primis Homeri coniciendum est aut versus suos legibus neglectis suo arbitrio composuisse, quod cum eis pugnat, quae iam supra enucleavimus: Palladam e. g. trochaicam caesuram quarti pedis ut Homerum vitasse intelleximus p. 90 seq. eundemque simliliter atque Homerum dactylos nondum ita anteposuisse spondeis ut poetas recentiores iam diximus p. 86. Item Palladas caesuras trochaicas tertii pedis fere totidem adhibet, quot semiquinarias ut Homerus, quam ob rem Palladam illam huic antepossuisse ut posteriores poetas contendi non potest. De caesuris ut plura addam, iam Homerus ne post finem tertii pedis gravius incideret, evitavit, in primis ne distingueret, de qua re vide tabulam distinctionum a Ludwichio (in Rossbachii Metrik p. 64.) compositam. Qua cum lege

---

[1]) Rh. M. 38. (1883) p. 226. et Verhandl. d. 36. Philologen-Versamml. Karlsruhe 1882. p. 290.

Palladae unum X. 55, v. 5. certare fortasse putes, tamen hoc in versu verba tam arcte connexa sunt, ut distinctionem maioris ponderis non interesse sit existimandum.

In fine quinti quoque pedis neque Homerus neque Palladas distinguut, cf. Rossbach. l. l. p. 33., sed verborum fines hoc loco non raro inveniuntur. Post priorem thesim quinti pedis Homerus perraro distinguit, Palladas bis (+ *ter*): XI. 54., 1. 304., 1. (*VII. 339, 5. IX. 378, 3. X. 118, 1*). Post arsim quinti pedis distinctio apud Homerum non est inusitata, cuius exemplum apud Palladam nullum repperi. Sed saepius Palladas incidit post arsim quinti pedis, si in quarto pede caesura deest, quam post priorem thesim quinti pedis. Caesura trochaica tertii pedis antecedente, caesura quarti pedis omissa Palladas incidit post arsim quinti pedis duodevicies:

VI. 61, 5.	IX. 486, 1.	X. 56, 11.	XI. 285, 1.
VII. 682, 1.	503, 3.	60, 1.	—, 3.
684, 3.	X. 45, 3.	75, 7.	371, 5.
IX. 183, 3.	55, 3.	99, 3.	
395, 3.	56, 7.	XI. 54, 5.	

sed novies tantum post priorem thesim eiusdem pedis:

IX. 119, 3. 397, 1. X. 46, 1. 49, 5. 52, 3. 65, 3. XI. 54, 1. 55, 1. 306, 1.

Semiquinaria antecedente caesura quarti pedis omissa undevicies post arsim quinti pedis incidit:

VII. 607, 1.	IX. 502, 1.	XI. 62, 5.	XI. 378, 5.
683, 7.	X. 59, 3.	340, 3.	386, 3.
IX. 166, 3.	79, 3.	357, 3.	App. 1. v. 3.
183, 1.	84, 1.	373, 1.	— v. 5.
487, 1.	97, 1.	378, 1.	

bis post alteram thesim: X. 50, 5. XI. 290, 3. Quibus in versibus septies prior thesis expletur voce monosyllaba: vocabula δὲ ter: IX. 173, 3. 393, 3. 502, 1. — γὰρ bis: IX. 377, 1. X. 65., 1 — vocabula correpta καὶ bis: X. 53, 3. XI. 283, 3.

Quibus rebus perquisitis videmus Palladam post arsim quinti pedis incidere in deliciis habuisse.

Caesura tertii pedis apud Homerum raro desideratur, sin autem deest, pro ea semiquinaria coniuncta cum semiternaria ponitur, quod in utroque quoque versu Palladae fit, qui ad hanc rem pertinent IX. 503., v. 1. et X. 56., v. 5. cf. p. 90.

Spondeum quarti pedis ante caesuram bucolicam Palladas in uno et viginti versibus adhibet[1]), ex quibus in undecim versibus thesis spondei vocabula καὶ formatur:

---

[1]) Nam X. 56, 5. huc non pertinet, cum caesura bucolica inter articulum et nomen incidatur.

VII. 685, 5.	IX. 174, 7.	X. 77, 1.	XI. 378, 3.
IX. 5, 3.	484, 5.	XI. 349, 1.	XVI. 207, 1.
394, 1.	X. 57, 1.	—, 3.	

In reliquis decem versibus illa thesis expletur: voce ἤ IX. 487, 3. δ'οὖ XI. 283, 1. δ'ἐν XI. 355, 1. μοῖρ' X. 88, 1. στὰς XI. 263, 1. Praeterea in his versibus spondeus in quarto pede exhibetur: X. 50, 3. ἑταίρα δ'οὖσα. XI. 303, 1. μισεῖς. XI. 306, 3. γαμήσει. X. 34, 1. μέριμνα. X. 49, 1. σέρφῳ.[1]) Homerus quoque spondeum ante caesuram bucolicam admittit, tamen si quartus pes spondeo expletur, potius semiseptenariam quam caesuram bucolicam adhibet. Deinde Homerus evitavit spondeum quarti pedis, si pes quintus spondeus erat; in omnibus tribus versibus spondiacis Palladae quartus pes dactylus est.

Ab antiquis poetis praeterea ante caesuras masculas quae dicuntur, hexametri et pentametri eae voces monosyllabae evitabantur, quibus voces dactylicae vel exitus verborum dactylici antecedunt. Ex Palladae versibus hi excipiuntur.

IX. 176, 1. ἐκλήθην παρὰ σοῦ.

XI. 351, 3. ὥς δ'ἔλεγον· σὺ τίς εἶ, Homeri verba.

IX. 183, 5. στένε καὶ σύ, potius caesura trochaica est.

X. 56, 5. διὰ τὴν ὥραν, non semiquinaria est, cum inter articulum et nomen incidatur:

In pentametris vocibus monosyllabis ante caesuram collocatis solae praepositiones anteeunt, qua re haec lex non violatur, cf. VII. 681, 4. X. 34, 2. 65, 6. 84, 4. XI. 263, 2. bis gradus comparativi IX. 502, 4. X. 48, 4. praeterea verba Homeri X. 55, 2. et X. 53, 4.

In caesura pantametri optimi poetae neque hiatus neque syllabas ancipites admittebant, quam legem Palladas diligentissime observabat, cuius in pentametris duos tantum hiatus inveni: VII. 687, 2. et X. 44, 2., quo loco excusatur symmetria collocationis, et praeter syllabas productas positione unam syllabam ancipitem VI. 85, 2., quod efficitur nomine longo comice ficto.

Quae omnia, si animis complectimur, intellegimus Palladam nequaquam suo arbitrio versus composuisse, sed leges observasse, quas optimi poetae antiquorum temporum constituerunt. Videmus Palladam mirum in modum se non submisisse praeceptis et rationibus aequalium, se liberasse ab auctoritate antecessorum Alexandrinorum, versibus suis componendis optima sola exempla imitanda proposuisse. Quod partim hac re effectum est, quod Palladas, cum totus nixus esset in Homeri genere

---

[1]) In nonnullis eorum versuum spondei lenibus mutationibus amoveri possunt, tamen dubium est, num in tot versibus discedentibus permutandum sit.

dicendi, etiam ex eiusdem arte metrica pendebat. At hac quoque re iterum proprium suum ingenium Palladas ostendit, quod iam aliis in rebus admirati sumus, cum in versibus suis struendis propriam viam ingrediatur neque vestigia aequalium et antiquiorum epigrammatariorum premat. Praeterea ex arte metrica quoque intellegere possumus, quam diligenter Palladas Homerum legerit: Homerus Palladae pauperrimo ludi magistro non modo victum cotidianum, sed etiam exempla exiguis carminibus eius parabat.

B.

De trimetris iambicis.

Perscrutantibus nobis, quibus legibus Palladas trimetros iambicos composuerit, 82 versus horum 19 epp. perquirendi sunt:

IX. 180.	X. 86.	X. 94.	XI. 287.
— 181.	— 87.	— 95.	— 289.
— 400.	— 90.	— 96.	— 291.
X. 81.	— 91.	XI. 282.	XV. 20.
— 82.	— 92.	— 286.	

Accedunt duo epp. dubia 14 versus continentia: *IX. 508.* et *XI. 359.*

Ex caesuris semiquinariae numero superant maxime semiseptenarias, nam illarum 61 (+ *12*), harum 12 (+ *1*) inveniuntur, coniunctae in 9 (+ *1*) versibus leguntur.

Incisionum post primam dipodiam factarum nulla caret caesura primaria, quarum 14 repperi.

Severius etiam Palladas evitat incisionem post tertium pedem, ne versus dimidiatus nimis langueat, nam incisiones inter articulum et nomen factae non in caesuris numerandae sunt. Praeterea post tertium pedem vox finitur nunquam nisi tertia arsis voce monosyllaba expletur, ut in his versibus: vocula *ὡς* XI. 291, 3. vocula *καὶ* IX. 180, 3. X. 92, 1. 94, 4. (*IX. 508*, 3. *XI. 359,* 6. 7. 8.). praepositionibus X. 91, 4. XI. 289, 3. voce enclitica monosyllaba X. 90, 2.

Quibus vocibus lex non violatur, qua praecipitur, ut caesura post tertium pedem vitetur.

Constat inter omnes optimos iambographos longas syllabas in thesibus solorum pedum primi, tertii, quinti admittere, sed in thesibus reliquorum pedum rigidissime evitare. Quam legem Palladas quam diligentissime secutus longas syllabas finales ne hiatu quidem correptas admittit, bis tantum breves syllabas ponit mutam cum liquida coniunctam:

X. 95, 1. in quarto pede *διπλοῦν*. *XI. 395, 4.* in sexto *διπλῆν*. Unus versus XI. 285, 5. discedit:

καλὸς δ'ἂν εἴη δοῦλος τὰ σκέλη κλάσας.

Qui versus iam ob eam rem suspicionem movet, quod versus antecedentis conexus perspici non potest; itaque a nonnullis doctis viris, a Boissonadio, Jacobsio, Piccolominio mutabatur, ex quibus Jacobs, quod commendat, probabile esse et maxime litteris traditis parcere mihi videtur: *καλὸς δ'ἂν εἴη τὰ σκέλη δοῦλος κλάσας.*

Jam ad dissolutiones iamborum pervenimus, quibus Palladas parce utitur, nam plures quam singulos pedes in singulis trimetris omnino non dissolvere eum videmus. Ex 82 (+ *14*) versibus 9 (+ *1*) versuum unum pedem dissolvit, saepissime nimirum tertium et primum. Dissolvit enim primum pedem bis: in tribrachym X. 96, 6. in dactylum IX. 400, 4. nomen *Ὑπάτια*, nam sic propter metrum scribendum est. Tertium pedem quinquies (+ *1*) in dactylos X. 94, 1. X. 96, 1. 2. 8. 9. XI. *359*, *1*., semel in tribrachym X. 95, 2. Quartum pedem semel X. 81, 4. in tribrachym. Pedes quintum et sextum nunquam dissolvit. Anapaestum permittit pro iambo quater in primo pede X. 82, 1. 87, 3. 91, 3. 92, 3. semel in secundo X. 90, 3.

Itaque Palladas saepissime eos pedes dissolvit, quos optimi poetae dissolvere solebant: tertium pedem post semiquinariam, quartum post semiseptenariam, primum quoque.[1]) Anapaestis usus Palladas propius accedit ad iambos comicorum quam tragicorum (cf. Rossbach l. l. p. 226) neque tamen ad eam licentiam progreditur, ut proceleusmaticum admittat pro anapaesto.

Syllabas finales in vocalem excidentes Palladas nunquam producit duabus litteris sequentibus in versibus iambicis, saepius autem tales syllabas in unam consonam terminatas una littera sequente, in primis in primo pede decies (+ *ter*), in quarto pede novies (+ *bis*), in quinto octies (+ *bis*), in tertio pede ter, in secundo semel (+ *bis*), in sexto nimirum maxima cum licentia.

Media in voce syllabas etiam saepius producit, quin etiam littera muta c. liq. coniuncta.

Hiatum quam maxime fugit Palladas, nam in 96 versibus unus reperitur XI. 291, 1. *τί ὠφέλησας.*

Fere nihilo minus vitat elisionem, elidit enim: bis voculam *δὲ* X. 94, 3. XI. 286, 5. *ἀλλὰ* X. 86, 1.. bis praepositiones X. 81, 5. 96, 6, semel nomen X. 96, 3. semel verbum IX. 180, 3.

Craseos exempla perpauca inveni: *κἀγὼ* X. 86, 1. 92, 2. XI. 359, 3. *καὐτὴ* IX. 180, 4. *τοὐναντίον IX. 508. 3.*

Quibus ex rebus cognovimus Palladam in trimetris scribendis fere severiores leges quam in hexametris secutum esse.

Legum, quas de accentibus iambographos Byzantios constituisse Meyer et Hilberg[2]) eruerunt, in Palladae epp. nullum vestigium reperitur.

---

[1]) cf. Oberdick, Kritische Studien I. p. 35. sqq.
[2]) Meyer. l. l. Hilberg. Byz. Zeitschr. 1898. p. 327.

C.

De licentiis Palladae quibusdam.

Quoniam leges primarias artis metricae Palladae perquisivimus, nunc de nonnullis licentiis ut disseramus, restat, quae commemoratione dignissimae sunt. Cum Palladam nimirum eis licentiis, quae inde ab Homero usque ad Alexandrinos quoque in usu erant, quam maxime usum esse eis rebus, quas adhuc exposui, satis perspicuum sit, hoc loco singula exempla earum enumerare non opus est, ut commemorem e. g. breves syllabas media in voce positas positione productas aut non productas multa alia eiusdem generis.

Syllabas finales in vocalem terminatas Palladas non modo vi duarum consonarum verbi sequentis, sed etiam accentu versus producit, quin etiam non modo una consona sequente, quales syllabas Meleagrum Ouvré[1]) et Callimachum Heep[2]) produxisse demonstraverunt, ex quibus hic praeterea tales syllabas nusquam nisi in arsi produci ostendit, sed etiam duabus vocalibus se excipientibus. Quibus in syllabis non modo vis hiatus sublata est, sed etiam versus accentu brevis vocalis producta est, cf. X. 44, v. 4. *Δόμινε οὐ.* Una consona sequente producitur IX. 395, 1. *γλύκιον ἧς,* cf. supra p. 84. et VI. 85, 2. *Γορδιοπριλάριος ἄνθετο.* (Cf. simile Luciani XI. 431, 2. *τρῶγε καὶ.*)[3]) Semel Palladas producit etiam brevem syllabam thesim explentem IX. 168, 5. *μῆνιν οὐλομένην,* quod excusatur ea sola re, quod verba ex Homero sumpta hoc loco coniunguntur. Ob eandem causam littera *τ'* non opus est, quam a Pl. insertam Jacobs removit, cf. similia XI. 80, 2. *Ἄπιν οὐδένα* XI. 408, 1. *γῆρας οὔποτε.* Non miramur praeterea, quod easdem voces non eodem modo metitur, sed in eodem ep., quin etiam in eodem versu saepe varias mensuras usurpat[4]), quarum notabiliores commemorare liceat: *δίζυφον* IX. 503. in primo versu longa *ῡ* littera, in secundo brevi. *ἀνήρ* X. 48, 3. iambus X. 52, 2. spondeus est. *Ἀΐδης* semper dissolvit poeta brevi syllaba prima. Unus VII. 686. v. 3. excipitur: *δόμον Ἄϊδος εἴσω,* quam ob rem veri est similius cum Pl. et P. (altero loco) scribendum esse *δόμον εἰς Ἀΐδαο.* Semel tantum haec vox contracta invenitur X. 88, 1., quod ep. iam aliis de causis suspiciosum videtur[5]), cf. p. 9.

Praeterea satis multum offensionis praebet mensura vocis *μορία*

---

[1]) Méléagre de Gadara. Paris 1894. p. 211. Adn. 1.

[2]) Quaestion. Callimach. metric. Bonn. 1884. p. 24. sqq.

[3]) Exempla ex Homero collegit Ludwich. J. J. 109. p. 240. sqq. et Aristarchs hom. Textkritik II. p. 287.

[4]) De variis mensuris eiusdem vocis egerunt Ludwich Aristarchs hom. Textkr., Ouvré, Méléagr. p. 213. Stadtmueller. Bl. f. d. bayr. Gymn. 1890. p. 555.

[5]) De eodem verbo disserit Jacobs, observ. critic. p. 44. adn. 20.

XI. 305. 1., pro qua Palladas alibi semper μωρία adhibet, cf. epp. X. 90, 4. 91, 2., ut veri similius sit hanc vocem non recte traditam esse. Quam ob rem fortasse cum Herwerdeno scribendum est θρέμμ' αἰδρείης, quod Dilthey quoque probat, tamen hoc loco nomina propria proferri conicit.

Non minus petulanter Palladas correptione Attica quae vocatur, utitur, cf. e. g. syllabas media in voce sitas: XI. 299. v. 1. ὑβρίζεις longa syllaba prima, v. 2. brevi; item XI. 302., v. 1. longa ῡ v. 2. brevi. IX. 487. 2. Κύπρος longa paenultima v. 4. brevi.

Diversas voces in eodem ep. corripit aut non: XI. 305. 6. οἶσθα γραμματικὴν . . . οὔτε πλατωνικός. X. 55. 3. πέτρης longa, v. 7. πέπρασαι brevi syllaba prima. Similiter XI. 317. 1. μακρόθυμον brevi, v. 3. ὄκνον longa syllaba prima. X. 55, 5. τύπτομαι οὐδ' hiatu corripitur, v. 1. μὴ ὑπακούειν hiatu non corripitur. Multa alia praetermissa facio.

Peroratio.

Ultimum restat, ut omnia, quae singulis capitibus eruimus, comprehendamus, ut certum iudicium de Pallada ferre possimus. De nullo unquam poeta antiquitatis tam varia iudicia prolata esse certum est, quam de Pallada nostro: Causobonus enim[1]) eum insulsissimum versificatorem appellat, at Opsopaeus[2]) eum in optimis poetis numerat atque prae ceteris cum Martiale comparandum esse dicit. Atque ut sententias virorum doctorum nostrae aetatis proferamus, Schoell[3]) eum nominat satis elegantem, Nicolai[4]) vituperat carminum ieiunitatem et infacetum lusum. Veritas ut plerumque hac in re quoque in medio est: cum ingenioso illo Bilbilensi Palladam non esse comparandum iam vidimus, cum careat copia sententiarum, sollertia, varietate Martialis. At pluris Palladam aestimabimus, si eum cum poetis eiusdem patriae, cum Graecis epigrammatographis comparabimus: hic enim contra eorum rationem minime tantum auctoritate antecessorum commotus est, primus liberum se praestitit ab ingenio egregii illius Tarentini Leonidae, hic propriam suam naturam servavit et in sententiis et in formis, id quod apud optimos solos epigrammatistas invenimus, hic propagavit fines ep. Graeci a maioribus acceptos. Erat, ut paucis absolvam, poeta, qui istis temporibus, quibus fons validus ingenii et artis Graecorum fere exaruerat, fidem servavit praeclaris exemplis antiquorum et ingenium Graecum mediocriter quidem, sed haud male, pro suis viribus epp. suis propagavit.

1) Causobonus ad script. hist. August. I. 842.
2) Anthol. Plan. ed. Wechel. p. 34.
3) Gr. Litt. Gesch. vers. a Pindero III. p. 26.
4) Gr. Litt. Gesch. III. p. 364.

Tabula argumenti.